



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio XIII. De Ubi, Duratione, Tempore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

non solum rationem primò producentis, sed etiam rationem primò conservantis, habeat, tunc non erit necesse, illam actionem esse indivisibilem.

RATIO, quia illius gratiæ conservatio, potest etiam in tempore fieri.

ASSERO quartò. *Etiā Divinitus fieri non potest, ut quando, non est aliqua pars Sacramenti, quæ supponitur causasse gratiam, succedens pars, continuat ejusdem actionem, si forte aliquam haberet.*

RATIO, quia actio, est essentialis dependentia

ab hoc principio. Ergo ab alio pendere & continuari non potest.

ASSERO quintò, *partes antecedentes formæ, v.g. producere gratiam, in aliquo sui, hoc est, in illo complemento, illius pronuntiationis, constituentes, & complentes ultimam formam, reddentes ultimam syllabam, primò, humano modo sensibilem.*

RATIO, quia in ante, non possunt illam producere, aliàs maneret aliquis v.g. absolutus, idq; per infusionem gratiæ, ante prolationem formæ, sed de hoc in materia de Sacramentis.

DISPUTATIO XIII.

De Ubi, Duratione & Tempore.

UBi, est terminus motus, sed non semper motu acquiritur. Nam Adam habuit locum in paradyso, nec tamen illum acquisivit per motum, sed per sui productionem in illo loco; quia tamen etiam motu acquiritur, rectè, post tractationem de motu, ejus consideratio adjungitur, succedet postea, Duratio, & Tempus.

QUÆSTIO I.

Quid Locus?

Locus, dupliciter spectari potest, primò, secundum quod, dicit formaliter, præsentiam hic: & hic locus intrinsecus, vocatur Ubi. Secundò spectari potest locus extrinsecè, pro contentivo Ubicorum eorumq; ambitivo.

DIFFICULTAS I.

Quid definitivè Locus extrinsecus?

Definit Locum Aristot. *Quòd, sit ultima superficies corporis continentis immobilis, 4. Physic. tex. 39. & 41. Dicitur ultima superficies, ad conditionem, à loco improprio, qualis est Civitas, regio, &c. & ut ostendatur, quòd quamvis ipsa superficies, postea cingatur alià superficie, quia non cingitur prout cingit, & per se loquendo, sed secundum quod corpus est, id eò adhuc erit ultima superficies, vel certè dicitur esse superficies, quæ, quæ talis, non indiget uniri, sed solum esse contigua. Ly autem superficies, non debet sumi, prout est de prædicamento quantitatis, importatq; extensionem, in Longum & Latum, sed prout dicit Continentiam rei. Dicitur autem esse immobilis, ut distingatur à loco improprio, quale est vas, ve-*

lis &c. quid autem significet hæc immobilitas, infra dicitur. Probatur bonitas definitionis, quia convenit Omni, Soli, & Semper, proceditque per prima prædicata.

Dices primò. Si locus, est dicta superficies, sequitur, quòd, qui habet plures superficies, ille sit in pluribus locis, adeoq; virgam aquæ infixam, quæ habet superficiem, aquam & aerem, esse in duplici loco: sequitur item, quòd si duo corpora se penetrarent, & haberent eandem superficiem ambientem, quòd essent in uno loco, & tamen dicuntur, duo esse locata.

RESPONDETUR, plures illic esse superficies materiales, formaliter autem est una, quia omnes illæ conveniunt in ratione formali continentis immobilis, secundum eundem locum immobilem & idem Ubi. Corpora illa penetrata, hoc ipso, quia penetrata sunt, sunt in eodem loco, quamvis autem sint plura locata, non sequitur plurificari loca, quia multiplicatis subiectis denominationum, non est necesse multiplicari formas, sic plura essent alba, quamvis una replicata albedine dealbarentur, quòd etiam in id resolvitur, quia usus obtinuit, ut locatum multiplicetur, non per ordinem ad locum, sed rei, quæ locatur.

Dices secundò ex 4. Physic. tex. 3. Tam locus debet esse adæquatus corpori, quam ipse locus, debet adæquate occupari, quorum neutrum dictæ superficiæ convenit, idq; ideo, quia continens, est majus contento; & si illa superficies est adæquata locato, à centro locati descripti circuli ad superficiem, concavam loci, & ad superficiem convexam, tunc illi circuli æquales esse deberent, quòd est contra Mathematicos.

RESPONDET Averroes, Locum debere esse æqualem locato, non ratione dimensionis, sed ratione continentis, quia scilicet nulla est pars

† gg 2

locata

locati, quæ loco non ambiatur, & nulla pars loci, prout ambit, est major locato, quo enim excedit locatum, jam eo non ambit.

DICES tertio. Locus debet esse forma locati, debet esse terminus mobilis, debet esse id, quod trahit corpora, ut ea conservet ex 4. Physic. tex. 4. & 4. Cœli, Tex. 22.

RESPONDETUR. Locus est forma impropria locati, constituit enim locabile in ratione locati, est terminus mobilis, quia mobile movetur, ut acquirit locum, trahit etiam corpora, quia corporum, bonum est, esse in loco, non in vacuo, quæ omnia conveniunt loco, quamvis ille sit ultima superficies.

ADDO, quod, quamvis dictâ definitione potius explicetur, quæ res sit Locus, quam, quid sit, hoc tamen bonitati definitionis non obest, nam formalitates bene describuntur, ostendendo, quid sint, & additâ competenti connotatione, sic unum describitur, quæ res sit, cum certo connotato dicendo, quod unum sit ipsum ens prout dicit negationem divisionis.

Major est difficultas explicare, quid sit ista immobilitas. Misilis non ita vulgaris explicationibus.

EXPLICAT primò de Lugo, de Eucharistia, d. 5. Sect. 4. Immobilitatem loci esse ipsam superficiem realem corporis circumdantis, prout est affixa, tali spatio imaginario. Unde infert, si piscis moveretur unâ cum aqua, non maneret in eodem loco, & tamen contineretur sub eadem superficie, quia scilicet locus, est quid completum, & ex superficie & ex immobilitate illa, hinc uno deficiente, non est idem locus.

NON SATISFACIT hæc Explicatio. Tum quia esse in loco, non pendet ab aliquo, quod non est nemine cogitante, nemine autem cogitante, non est spatium istud imaginarium. Tum quia ly superficies, trahit ad se tanquam adjectivum, ly immobile, consequenter non aliquid distinctum à superficie, debet esse immobile, dicta autem explicatio, non superficiem, sed spatium imaginario tribuit immobilitatem. Tum quia vi istius explicationis locus coalescit, ex superficie, & ex illo imaginario; quia autem superficies stantis in eodem loco mutatur, debet mutari & locus, nam semper mutatur res, alterutrâ parte componente mutatâ, præcipuè cum Lugo, rejiciat explicationem immobilitatis per æquivalentiam succedentis alius semper superficiem.

EXPLICANT secundò alii immobilitatem loci, cum D. Thom. 4. Phys. ad tex. 42. locum esse immobilem ratione fixarum mundi partium, ad quas, quando non variatur distantia, in eodem loco res dicitur esse.

NON SATISFACIT hæc Explicatio. Tum quia, qui ambularet per æquatorem, servaret semper eandem distantiam, à centro & polis, tamen mutaret locum, ut bene advertit recentior Suar. Tum quia, si Deus totum hoc Universum promoveret, non motis in illo contentis, tunc

contenta haberent eandem distantiam ad partes fixas mundi, & nihilominus verè mutarent locum, Ergo hæc immobilitas ad partes fixas, non salvat rationem loci. Tum quia promoveat Deus spatia fixa, immoto Petro, Petrus non movebit se loco ut supponitur, & tamen habebit aliam distantiam à partibus fixis, Ergo per illas, non explicatur universaliter ratio loci.

In idem ferè recidit sensus recentioris Suar., qui superficiem dicit se materialiter habere ad rationem loci, sed indistantiam à partibus fixis, si illæ sint poli, si centrum, si quævis alia puncta, ut alii addunt possibilia, additq; quod ambulans per æquatorem, licet haberet eandem distantiam à partibus fixis, haberet tamen illam aliter, & per diversas lineas, simileq; quid contingeret, si ipse æquator moveretur, licet haberet, inquit, à partibus fixis etiam possibilibus æqualem distantiam, haberet tamen aliam distantiam ratione partium, à partibus fixis aliter & aliter distantiam.

NON SATISFACIT hæc explicatio. Tum quia esse in loco formaliter, non pendet à partibus fixis, quæ de facto sunt, ut supra probatum, nec item à spatiis imaginariis propter itidem dicta, non etiam à possibilibus ut probatur. Quod est esse in loco, est aliquid reale positivum & existens. Ergo & id quod complet locum, debet esse reale existens, quod possibilibus non competit. Et certè possibilia, tam verè non sunt actus, ac spatia imaginaria; quid ergo præ illis plus habent, ut actu locum, ut actu est, constituent. Tum quia, supponamus per impossibile poni à Deo omnes possibiles partes fixas, promoveat mundum Deus ipsis rebus immotis in se, tunc alius erit locus illarum rerum, & tamen eandem distantiam à partibus fixis, quæ suppositio in nostris principiis, de productione omnium possibilibus, est quidem impossibilis, non tamen destruens scienciam. Tum quia, quamvis nullæ sint partes fixæ, si aliquid moveretur motu locali progressivo, mutaret locum, hoc ipso enim non progredieretur. Ergo ratio partium fixarum, non est quid constitutivum loci. Et certè ly immobile, ut dictum supra, est adjectivum referibile ad superficiem, quomodo autem referibile erit, si immobilitas penes aliud se teneat, nempe penes partes fixas, & penes aliud se teneat, ratio superficiem. Et sicut, si lapis non moveretur, ego autem moverer, non juvaret quidquam hoc, ut competat mihi immobilitas loci; sic nec juvabit superficiem, si sit mobilis, quamvis immobiles sint partes fixæ, aliud enim est superficies, & aliud partes fixæ. Neq; valet si dicas, immobilitatem hanc, esse immobilitatem ratione distantia, quia quamvis non moto locato, non mutetur distantia partium fixarum & locati, mutatur tamen distantia ipsius superficiem. Unde ergo superficiem immobilitas competet?

EXPLICAT tertio Pontius. Immobilitatem loci desumi à tali distantia ad terminum; At quem, motus

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum?

localis, quo movetur corpus à loco ad illum terminum. Nam locus, inquit, ut dicit talem distantiam, nequit moveri etiam de potentia absoluta, dicitur; consequenter, quando turri stante in eodem loco mutatur superficies, non mutat illa locum, quia quamvis, mutet superficies se ambientes, nihilominus, quia non est distantia inter illas superficies, propterea non dicitur moveri localiter. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia, ut dixi, immobilis, est adjectivum pertinens ad substantivum, superficies, quod si ipsa superficies in se immobilitatem non habet, quomodo dicitur immobilis? Tum quia extortum videtur, ideò turrimutato aere, non esse in alio loco, quia inter illas superficies, non est distantia, quid enim confert, eadem superficies in indistantia, inter se, ut locatum sit in eodem loco. Tum quia impossibili etiam motu locali, poterit esse locus. Ergo per hoc, quod locus non possit moveri ad terminum, ad quem, vel recedere ab ipso, non bene explicatur loci ratio.

Tota, ut vides, Difficultas est, in explicanda mente Philosophi, & in conjungendo ly immobile, cum ly superficies. Posset dici Philosophum hoc voluisse; Considerabat ex una parte esse aliqua continentia, quæ moto mobili non sunt unà mobilia, v.g. aer & aqua, alia autem continentia esse mobilia, ut cum transfertur vinum cum vase, attendit Philosophus plus ad hæc continentia, quæ cum mobili non transferuntur, & talia continentia non transferibilia appellavit superficiem immobilem. Ad miracula autem quæ fieri possunt, ut si Deus totum universum promoveat, nō attendit Philosophus, egitque hic Philosophus, utpote tractans Physica de loco non nisi materialiter, & secundum naturalia spectato. Quando autem sentit Aristot. quod superficies aquæ, in flumine ambiens navigium, non sit locus, intelligendus est Aristot. de parte intima, non de extrema navigii, quia extremæ locus, aqua est. Ex quo ulterius vides, Cur sit turris in eodem loco immobili, mutato etiam aere, quia scilicet, non est factus aer ille, translata aliò turri, sequi eandem. Porro locum ut sic, communem loco extrinseco & intrinseco, ita definit Pontius, Quod sit id, ad quod res habet præsentiam, vel est id, ratione cuius res habet, ut sit illic, ubi est.

DIFFICULTAS II.

Quid sit in re Locus intrinsecus?

NOMinales negant, Ubi, esse entitatem superadditam, Modalem, Affirmat Suariterque, de Lugo de Euch. d. 5. Sect. 5. Ovie: & alii. Ariaga realiter distinguit.

PRÆMITTO primò. *Non dari negationem negationis*, qua de re agitur etiam in materia de Peccato Commissionis. Ratio præmissi, præter dictasibi, est; Tum quia negatio objectivè spectata, est, non esse, formaliter autem spectata, est, formale non esse, seu negatio esse; sed negatio objectiva aufert esse, ergo & negatio formalis auferet esse, adeoque non dabitur negatio negationis, sed negatio esse. Tum quia si daretur negatio negationis, non haberet aliquid, quod negaret, negaret negationem, sed hoc non est negare, quod ipsum probatur. Negatio enim, rigorosè loquendo, non est aliquid, Ergo negare negationem, non est negare aliquid. Quod ipsum sic aliter proponitur, Nihil negare, est non negare, sed negare negationem, est nihil negare, Ergo negare negationem, est, non negare. Nihil enim, & negatio idem sunt. Tum quia rationes in oppositum, non convincunt. Nam non sequitur, quod, sicut datur affirmatio affirmationis, ita dari negationem negationis, quia negatio habet pro objecto esse negandum, ut probatum: ubi ergo esse non reperit, non habet quod neget, & quia illud in negatione non reperit, non poterit illam negare, affirmatio itidem habet pro objecto esse, quod esse, quia reperit, etiam in affirmatione, bene illam affirmare poterit. Quod esse, latiori modo etiam chimeris competit, quia etiam de illis multa affirmantur. Quod autem dicitur ex eo dari negationem negationis, quia datur mors hominis cæci, mors autem est quid negativum, cæcitas item; hoc etiam non convincit, quia aliud est dari negationem ejus, quod connotat aliquid negativum; & aliud negationem negationis, priori enim casu negatur hominis vita, quæ connotat negationem potentie ad videndum expedita. Quando etiam actus reflexus habet pro objecto negationem, non erit negatio negationis, sed erit negatio non nisi representans negationem, actu directo cognitam, eritque potiùs cognitio cognitionis.

Posito quod non detur negatio negationis, danda erit talis explicatio ubi, ne ex illa sequatur dari negationem negationis.

PRÆMITTO secundo. *Distantiam, per omnes, non aliud esse, quàm non esse hic, & præsentiam, per omnes, non aliud esse, quàm esse hic*, de quibus duobus, postea quaritur, per quid habeatur formale esse hic, nam Modalistæ concludunt id haberi per Ubi superadditum, & distinctum nemine cogitante, Nominales per solam negationem. Porro cum non detur, ut dixi, negatio negationis, videndum est, quid neget distantia, vel quid neget

neget Ly: non est hic, & clarum est, negare entitatem locati, pro illo spatio, quid enim est distantia Luciferi à cœlo, est non esse ejus entitatis in cœlo, habet ergo ut vides illa negatio, pro objecto esse, quod negat, & insuper, habet pro connotato & pro formali illa negatio esse, est enim distantia Luciferi à cœlo negatio entitatis Luciferi in cœlo, quamvis illa distantia in Recto dicat negationem, ad eum modum, quo negatio extensionis, dicit in recto Non esse, seu ipsum rei *non*. Pro obliquo autem, dicit ens, hoc est extensionem, quam negat. Sic annihilatio, dicit in recto, negationem concursus conservativi, ipse autem concursus, & ens conservabile, est quid positivum & ens.

Quibus positis, infertur quod distantia prædicto modo explicata, non erit negatio negationis, est enim negatio alicujus positivi, nempe negatio locati, in hoc spatio.

Sic descripta distantia, restat querere, quid in recto sit illa negatio, ad eum modum, quo non esse Leonis, est quid negativum in homine, & tamen querere est, quid in re sit istud non esse Leonis.

In re ergo illa negatio, erit v.g. existentia locabilis, & existentia loci, & inter illa interceptum spatium, vel interceptibile. Quod requiratur ad distantiam, existentia locabilis, vel inde probetur, quia Antichristus non dicitur propriè distare ab hac parte. Quod etiam requiratur existentia Loci, Ratio est, quia nemo dicitur propriè distare à nihilo. Quod etiam requiratur spatium interceptum, vel interceptibile ad distantiam, ratio est, à posteriori, quia inter Deum & creaturas non est distantia, & non est etiam quidquam interceptibile, positâque universaliter interceptibilitate corporis, ponitur distantia, non positâ interceptibilitate, non ponitur. Ergo apparet, ingredi rationem distantia dictam interceptibilitatem, sicut ingreditur indistantiam non interceptibilitas.

Unde colliges distantiam, dupliciter spectari posse. Formaliter & Negativè, sicque est negatio hujus locati, in hoc loco. Deinde spectari potest materialiter, & in re, & sic, dicit corpus locabile, locum, & inter hæc interceptibilia vel intercepta corpora.

PRÆMITTO tertio. *Oppositum distantia, indistantiam accommodatè ad duplicem distantiaceptionem, dupliciter spectari posse.* Primò negativè, & sic spectata, opponitur distantia positivè acceptæ, & secundum quod est, in re, & quia negatio perfici non potest, nisi negatione, etiam indistantia, in quantum est quid negativum, perficietur, seu constabit negatione, cum autem non neget existentiam locabilis, quid enim indistantia? cum item non neget existentiam loci, à quo enim indistantia? restat ut illud, quod negat indistantia, sit corpus interceptum, vel interceptibile, inter locum & locabile. Ubi ut vides, indistantia negativè accepta, non est negatio nega-

tionis, sed est negatio alicujus positivi, nempe spatii interceptibilis. Rursus, possemus spectare indistantiam oppositam distantia, tanquam aliquid positivum, in quo negationes concernentes indistantiam fundari possint, & quia negatio & affirmatio sunt ita opposita, ut illud, quod una negat, hoc idem alia affirmare debeat, aliàs si non idem affirmaret, non huic negationi, sed alteri opposita esset, hinc fit, ut cum distantia Petri importaverit non esse Petri, in hoc loco, indistantia illi opposita, importat esse Petri, in hoc loco, quo casu, indistantia non erit negatio negationis, sed erit affirmatio illius esse, quod negabat distantia.

Explicatur, & alià viâ, quomodo indistantia opposita distantia negativè acceptæ, ad hæc insuper, non sit negatio negationis. Quando aliqua sunt mutuò relativa, tunc illud, quod est connotatum unius relationis, est in altera relatione fundamentum, & quod est in alia relatione fundamentum, est connotatum alius relationis. Sic v.g. Paternitas & Filiatio, sunt mutuò relativa, & in relatione Paternitatis connotatum, est entitas Filii, quæ in relatione Filiationis, est fundamentum; & fundamentum, quod erat in relatione Paternitatis, transit in connotatum. Ita etiam in præsentia, id quod, in relatione distantia, pro connotato importabatur necessariò in relatione indistantia in recto, & pro fundamento importabitur; cum ergo distantia Petri importaverit in obliquo Petrum, in recto, ipsius non esse, seu non existentiam: distantia enim est, non existentia Petri, in hoc loco, tunc illi opposita indistantia, importabit Petrum in recto. Quod si importabit indistantia Petrum in recto, non erit negatio negationis, sed erit affirmatio esse, quod negabat distantia, & sic sumpta indistantia, erit esse Petri, prout negat negationem sui esse, adeoque affirmat se, hinc esse. Et in hac explicatione, negativè jam indistantia non accipitur, sed affirmativè, nam ex duobus negationibus, fit una affirmatio, eritque indistantia Petri ipsum Petri esse, seu esse locabilis, prout negat negationem sui esse, adeoque affirmat se hinc esse.

His præmissis

DICENDUM est primò. *Indistantiam seu Ubi, non esse entitatem supra additam, sed esse Ubi, seu locum negativè acceptum, ipsammet entitatem locati, prout negat inter se & locum, interceptum spatium, vel interceptibile.* Positivè autem acceptum ubi est ipsamet entitas Petri, prout negat negationem sui esse, in hoc spatio, vel prout dicit esse illic, vel esse in hoc spatio. Quoad secundum hoc membrum explicationis peti debet probatio ex præmissis. Quia scilicet hæc explicatio, convenit omni, soli, & semper, proceditque per prima in hoc genere, facileque suaderi potest hoc secundum membrum conclusionis, modò constet de primo, nihil enim est reliquum, quod dicatur, modò constet, Ubi, non esse entitatem supra additam: Quod ut fiat, Pro-

PROBATUR primò Conclusio argumento Nominalium. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas superadditæ huius entitatis modalis, ut solutione objectionum constabit, inferrique potest hæc præmissa ex suppositis, idè enim admittitur hæc superaddita entitas, ne ponatur negatio negationis, quamvis autem Ubi, non sit entitas superaddita, non ponetur adhuc negatio negationis, secundum adlatam in suppositis. Ergo.

PROBATUR secundò. Ponamus, Petrum esse, in loco A. habereque superadditam illam entitatem, ponamus rursus non exhibito ullo concursu DEI, qui sit requisitus ad motum, annihilari illud Ubi superadditum, vel erit Petrus in alio loco, vel in eodem: non in eodem, quia aliàs, superflua esset entitas illa superaddita, siquidem potest esse in eodem loco, adeoque habere præsentiam ad eundem locum, hæc enim verbis differunt, & tamen non habere illam entitatem superadditam, non erit etiam in alio loco, quia supponimus DEUM non exhibere concursum exigentem ad motum, vel per alium, vel per ipsummet Petrum faciendum, quomodo ergo deferretur ad alium locum?

RESPONDEBIS primò. Esse suppositionem impossibilem.

CONTRA. Tum quia, quamcunque tu impossibilitatem ostenderis, illa erit cum petitione principii, inniteturque propositionibus, quæ ipsæ sunt, quæ negantur. Tum quia simile argumentum, si ponatur ad probandum relationem, non esse entitatem superadditam, recte procederet, cur ergo in præsentia non procedat? Tum quia quamvis hoc esset, impossibile, sufficit, quod non esset suppositio impossibilis, tollens se ipsam, de qua, quid sit, egi ubi, de actu, vellem non peccasse in materia de Penitentia & aliàs.

RESPONDEBIS secundò. Tali suppositione positâ, fore Petrum in loco remoto & radicaliter, non proximè & formaliter.

CONTRA. Tum quia de hoc ipso quæritur: Cur ad esse formaliter in loco, requiratur Ubi, superadditum. Tum quia formaliter esse hic, quocunque modo definieris, modo legitime, jam erit hæc definitio, competens corpori in prædicta suppositione. Tum quia, si quis diceret, sublatâ relatione superadditâ, non fore relationem formaliter, non satisfaceret argumento, Ergo in præsentia idem dicendum.

RESPONDEBIS tertio. Prædicta suppositione positâ, fore locatum in loco, negativè, sed non positivè.

CONTRA. Tum quia, nulla est necessitas, ut aliquis sit in loco, per positivitatem aliam, quam suæ entitatis. Tum quia positò quod termini quantitatis, sint indistincti realiter, sufficit illis dare positivitatem desumibilem ab ipsâ quantitate, Ergo & ipsi Ubi, sufficit, dare positivitatem,

desumibilem ab ipso locato. Tum quia ipsum Ubi, superadditum, importat etiam negationem distantie à loco, non enim importat esse distantiam, & tamen sufficit, positivitatem illius, salvare, per ipsam positivitatem entitatis ipsius Ubi, Ergo eandem positivitatem sufficit salvare, per ipsam entitatem locati.

PROBATUR tertio. Certum est, in principiis modalium, non posse produci præsentiam localem huius loci, in Petro, nisi hic locus, circumfluat Petrum, quæro, in illo priori rationis, in quo jam hic locus circumfluat Petrum, & nondum intelligitur producta esse præsentia localis, vel est jam hic, vel non est hic Petrus: Si non est hic. Ergo hic locus illum non circumfluat. Rursus si, in illo priori, in quo nondum intelligitur pullulasse præsentia localis, non sum hic. Ergo in illo priori, nondum potest produci præsentia localis, quia hæc, non potest produci, pro hoc loco, nisi ad exigentiam huius loci. Quod si in illo priori, in quo, nondum intelligitur pullulasse præsentia localis, jam sum hic, Ergo frustra ponitur pullulare hæc entitas si sum hic, sine superaddita entitate. Quod autem dicit recentior Suar: in illo priori, intelligi solum effectivam determinationem, ad hunc locum, per actionem & Causam productivam rei ubicate: Contra erit, quæro in illo priori effectivè determinationis, vel est in alio loco Petrus, quam erit adveniente illâ præsentia localitate, vel in eodem: si in eodem ad quid adveniet, aliud hic: si in alio, hoc erit merum figmentum.

RESPONDEBIS. Nullum dari tale prius.

CONTRA, quia illa Ubitas, producitur, non solum ad exigentiam localem, sed ad exigentiam huius loci, exigentia autem priores sunt exigito, utpotè suo modo causæ exigiti.

CONFIRMATUR Conclusio. Indifferentia DEI, quam habet ad indistandum ab hoc mundo, si non sit mundus, sufficienter tollitur solâ positione mundi, quam implet DEUS, & à qua indistat suâ entitate, Ergo etiâ indifferentia quâ habemus, ad esse in hoc loco, sufficienter tollitur per esse huius loci, quod impletur. Et certè DEUS, qui est incapax superaddendæ sibi entitatis modalis, si per aliquid sufficienter determinatur, ut sit in loco; casu, quo illud idem habeat creatura, quamvis capax sit superaddendæ Modalitatis, cur non per hoc sufficienter transibit, ad esse in loco, hoc autem, per quod habet, Ubi, DEUS in mundo, est ipsius entitas, inter quâ & mundum, nihil potest intercipi, & sic quia DEUS, seipso est essentialiter determinatus, ut unicuique loco coexistat, sic & creatura, seipsâ est determinata, ut coexistat loco, modò locus illam circumfluat. Et sicut DEUS seipso essentialiter determinatus, ut unicuique loco existat formaliter, coexistit seu indistat ratione negationis, alicujus interceptibilis, inter DEUM & mundum, cum similibus negatio reperiat in creaturis independenter

ab Ubitate superaddita, cur illa non sufficienter formalisabit esse ubi.

DICENDUM est secundò. *Præsentiam localem, interdum non esse sine modo.*

PROBATUR. Quia interdum, est immò ut plurimum, cum motu locali, qui non est, sine modo.

DICENDUM est tertio *Interdum, præsentiam localem esse modum.*

RATIO, quia motus localis, unio modalis &c. in quantum hîc existunt, habent hîc præsentiam, sed non præsentiam à se, entitate distinctam, Ergo ejusdem secum entitatis, sed illa sua entitas, est modus. Ergo & præsentia, erit modus.

Sed addo hîc non quæri, an præsentia aliqua, quoad rem, sit modus, quod habet hæc Conclusio, sed an sit modaliter distincta, ab eo, cujus est præsentia.

COLLIGES per quid, locale à non esse hîc, ad esse hîc, transeat, nempe per suam Entitatem & entitatem loci, & per negationem corporis interceptibilis quàm ipsa sui, vel productione vel replicatione, vel motu proprio locali acquirit. Quòd verò Unionem substantialem non possit formalisare negatio distantia, possit Ubi, hoc inde est, quia anima & corpus, dispositum possunt indistare, & nondum uniri substantialiter, jam autem negatione, distantia positâ, hoc ipso aliquid est in loco.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT primò Lugo, Petrum esse hîc, non est aliquid ens rationis, antecedenter enim, ante omnem mentis operationem, Petrus verè à parte rei est hîc vel illic, sed sine hoc esse hîc, potest manere entitas Petri, Ergo hoc, quod est hîc esse, est aliquid distinctum à Petro; sed hoc non potest esse aliquid negativum, omnis enim negatio nova, debet esse per ablationem alicujus positivi præcedentis, sed Petrus, non dicitur esse hîc, quia amittit aliquid positivum, Ergo hoc, quod est hîc, non est aliquid negativum, sed positivum distinctum ab entitate Petri.

RESPONDETUR, posse esse entitatem Petri, non esse hîc, si sit sine circumstantia negationis, distantia ab hoc loco, secus si istam negationem dicat, in qua circumstantia, esse hîc, non est distinctum à Petro. Quod autem dicit, omnem negationem debere esse per ablationem alicujus positivi, id verum est, de ablatione vel intrinseci, vel extrinseci positivi, non autem de ablatione, non nisi intrinseci, ad eum modum quo etiam negatio dextræ, oritur in locato, sine ablatione alicujus positivi intrinseci, nisi fortè ad infringendam instantiam velis concedere alium esse modum dextrum, alium sinistrum; hoc autem posi-

tivum extrinsecum, quod aufertur in præsentia est corpus interceptibile.

INSTAT primò Maurus, sicut motus calefactionis ordinatur ad hoc, ut res sit calida, ita motus localis ordinatur ad hoc, ut mobile sit in loco; sed esse calidum, est perfectio positiva, per calefactionem acquisita, ergo & esse in loco, est perfectio positiva per motum acquisita.

RESPONDETUR, Ipsa separabilitas quoad existentiam caloris, à subiecto, ostendit esse quid entitativè superadditum calorem; nulla autem similis separabilitas ostendi potest, ipsius Ubi, & cæteroqui ex dictis salvari illud potest, sine entitate superaddita, ratione connotationis; calor autem per connotationem salvari non potest.

INSTAT secundò idem. Major est perfectio rei, quiescere in loco, quàm moveri ad locum; sed motus localis, est aliquid positivum, ergo & quies, ubicatio autem est, per quam locatum, quiescit in loco.

RESPONDETUR. Non rectè colligitur majoritas perfectionis ex superadditione entitativa alicujus positivi, nam DEUS, est quid perfectissimè, neque tamen habet sibi ullam perfectionem positivam superadditam: independentia item est prædicatum negativum, & per nos asseitas, est tamen quid perfectius dependentiâ, & abalietate, quæ sunt quid positivum.

INSTAT tertio. Ordo, secundum locum, debet addere perfectionem intrinsecam rebus localiter ordinatis.

RESPONDETUR. Sufficere ad hoc additionem Metaphysicam, non Physicam; & si sit res de additione Physica, hoc ipsum probandum fuisset.

OBJICIT secundò Lugo. Motus localis, est vera actio, Ergo vera productio, Ergo habet aliquè terminum positivum, de novo productum, omnis enim productio, est productio alicujus; sed hujus productionis non est alius terminus quàm præsentia localis.

RESPONDETUR imprimis, per Nominales actio quidem productiva, debet aliquid producere, sed non actio adductiva, qualis est motus.

Rursus argumentum multum probat, visio enim, est vera actio, quid rogo producit, ipsa intellectio seu verbum mentis, est vera actio, quid producit, ubi ut vides, si nomine actionis venit actio, quæ sit motus efficientis, in isto sensu, motus localis non est vera actio. Si autem per veram actionem intelligas exercitium actuale potentia, in isto sensu vera est actio, sed non sequitur illam debere aliquid à se distinctum producere, Ergo sicut quamvis Ubi modale faciat me esse hîc, nihil tamen distinctum à se producit, sic nec ille motus localis, quamvis faciat me occupare diversa spacia successivè, non erit necesse ut aliquid producat. Unde etiam univer-

saliter docent non pauci, Actiones immanentes distinctum à se terminum non habere.

INSTAT OVIED: Si motus localis, non est actio, cur, in illo nihilo agendo; defatigamur.

RESPONDETUR. Non ex conatu producendæ alicujus modalitatis defatigamur, sed ex consumptione spirituum, & alteratione interveniente in ipso motu. Quando autem OVIED: ibidem ex Nominalibus quærit, quid sit in termino, esse adductum, dici potest, quod sit ipsum locatum, prout dicit negationem distantiam à loco, vel locus à locato. Denique dici potest, quod motus localis, sit actio, sed identificans sibi suum terminum, nempe præsentiam sibi debitam, sicut enim alia entia, ita præcisè etiam ipse motus, habet suam præsentiam.

OBJICITUR tertio ex eodem. Ablato quovis extrinseco, manet eadem præsentia Petri hic, &c. Ergo hæc non est denominatio extrinseca.

RESPONDETUR. Ubi importat negationem distantiam, seu corporis intercepti, vel interceptibilis, ad cuius tamen distinctiones & varietates entitativas, non attendit Ubi, sed attendit ad hoc formale, quod est negatio distantiam, & eam mutatà impossibile est non mutari locum. Addo, Ubi, esse denominationem intrinsecam, secundum id, quod dicitur in recto, licet sit ad aliquid à se connotatum extrinsecum.

INSTAT PRIMÒ. Etiam si corpus extrinsecum, annihilaretur à DEO, adhuc Petrus maneret in eodem loco, moverique posset localiter ad aliud spatium, Ergo hæc determinatio, provenit ab aliquo extrinseco.

RESPONDETUR. Si annihilentur omnia corpora, annihilabitur etiam, & ipse locus, qui est superficies corporis, habebitque se tunc locatum, sicut si poneretur extra cælos vel in vacuo, hinc rigore corpus, non esset tunc formaliter in eodem loco, sed esset in eodem loco æquivalente, quia si circumponatur illi, corpus extrinsecum, eandem negationem distantiam dicet, quam antea dicebat.

INSTAT SECUNDÒ. Ultima superficies cæli empyrei, verè est præsens ibi, ubi nunc est, & posset moveri à DEO localiter, & tunc jam non esse ibi, ubi nunc est; illa autem superficies, non denominatur esse ibi, ab alio corpore extrinseco, non enim habet corpus aliud ulterius, à quo circumdari possit, Ergo denominatur esse ibi, ab aliqua forma intrinseca.

RESPONDETUR. Expresè Aristot. 4. Physic. Tex: 45. docet, ultimam spheram nullibi esse. In principiis autem ipsius, Lugo, dici posset Cælum empyreum dicere negationem distantiam, ab aliquo imaginabili, æquivalente in ordine ad hunc effectum, reali corpori, à quo locatum dicit negationem distantiam.

INSTAT TERTIÒ. Si Petrus denominaretur esse hic, ab aliquo corpore extrinseco, vel illa denominatio proveniret locato, à corpore secundum

suam entitatem, vel secundum aliquid superadditum; Si convenit propter aliquid superadditum, illud certè superadditum, non aliud erit quàm Ubi modale. Si autem illa denominatio provenit ab ipsa entitate corporis, tunc quoties in rerum natura est illud corpus, denominabitur Petrus ab illo corpore.

RESPONSUM SUPRÀ, denominationem hic, accipere Petrum, à sua entitate, sed in circumstantia negationis distantiam, quod esse hic, est denominatio intrinseca, ratione extrinseci, identificata secundum id, quod dicitur in recto. Ad illud etiam principium: nova denominatio realis nõ potest haberi, nisi à nova forma reali, ita intelligendum est, quod debeat esse à nova forma reali, vel realitate desumibili à nova entitate, vel realitate desumibili ab entitate quidem præhabita, sed ratione circumstantiarum de novo accidentium, sortiente, novam aliquam formalitatem; & ita ratio Ubi, est denominatio nova intrinseca realis, sed non realitate, de novo superadditæ entitatis, sed realitate desumibili à præhabita entitate locati, non sortiente tamen hanc formalitatem, nisi in accessu novæ circumstantiam, quæ est negatio distantiam.

OBJICITUR QUARTÒ. Non potest esse negatio nova, nisi deficiat aliquid positivum, quod antea non erat, cuius enim illa negatio esset, in præsentia autè non potest ostendi, quid deficiat.

RESPONDETUR. Deficere aliquid positivum dupliciter potest, primò ut existente reddatur non existens, & sic deficit vita, succedit mors. Secundò deficit aliquid positivum non per hoc, quasi revera non existat, sed quod se ita hic & nunc habeat, ac si non existeret, & ita absentia Petri à domo, Solis ab Hemisphærio, non facit ne Petrus, & Sol existant, sed ut ita se habeant, hic, ac si non essent; ita & in præsentia dicendum, quod posità negatione distantiam, deficiat aliquid quod corpus interceptum vel interceptibile, non quidem deficientiâ, quæ faciat non existere illud corpus, sed deficientiâ quæ facit illud corpus, eo modo se hic & nunc habere, quasi non existeret.

INSTAT OVIED: quando ego sum Madriti, habeo negationem essendi Toleti, Ergo aliquid positivum producitur.

RESPONDETUR. Sufficere ut constituatur, in illo loco ipsa entitas locabilis quæ est quid positivum, expulsi v. g. negationis essendi Toleti.

OBJICITUR quintò idem. Ex hac sententia sequitur, corpora contigua, esse corpora indistantia, quid ergo erit esse corpora penetrativè. Quod si dicas corpora penetrativè esse, est idem utrobique spatium occupare; Contra erit quia penetratio, præter corporum entitatem & spatium, dicit adhuc aliquid aliud, & hoc aliquid aliud non est aliud quàm præsentia.

RESPONDETUR. Corpora contigua, secundum partes contingentes se duorum corporum distin-

distinctorum, sunt simul, sed ita, ut unumquodque illorum sit, in distincto loco: nam sint contigua, A, B, annihilato B, non censetur A, occupare spatium B, adeoque non censetur esse in eodem loco, & certè esse contigua, & habere eundem locum, non sunt idem, primum enim indicat locum non nisi proximè vicinum, quod etiam ipsum ly simul indicat. Unde hospites dicuntur esse simul cum Domino, quamvis non se penetrant. Penetratio autem & excludit diversitatem loci, & interitatem importat.

INSTAT primò Arriaga. Non est corpus interceptum inter contigua, & tamen non sunt in eodem loco. Ergo negatio corporis intercepti non est locus.

RESPONDETUR. Non est quidem interceptum corpus, condistinctum ab illis duobus, est tamen corpus interceptum intransitivè, hoc est illa ipsa duo. Retorqueri item potest argumentum, cur contigua non habeant eandem præsentiam, & quamvis inter corpus A, contiguum, & inter corpus B, nullum sit corpus, tertium interceptum, ipsum tamen v.g. corpus B, est æquivalenter interceptum, quia cohibens terminos, corporis A, ne ulterius procedant, ut dixi.

INSTAT secundò idem. Interceptibilitas quæ negatur, dum sum hic, dicit substantiam locati. & locum, quæ duo, sunt positiva, & insuper dicit negationem interceptibilitatis; sed cum non sum hic, non negantur duo illa positiva, nam supponuntur manere, Ergo negatur aliquid tertium, quod acquirit de novo corpus, atqui, illud, est sola negatio. Ergo sola negatio negatur.

RESPONDETUR, quando non sum hic, negatur hic ipsa entitas mea, non quòd non existat, sed quòd se respectu illius loci ita habeat, ac si non esset.

INSTAT tertio idem. In Petro existente hic de novo, solum est de novo, negatio ejus, quòd me pulso, in me verè periit, atqui in me solum verè periit negatio, quia illa sola verè destructa est. Ergo Petrus acquisivit solum negationem meæ negationis.

RESPONDETUR. Petro existente hic de novo, est negatio entitatis Pauli, secuta in illo loco, adeoque non negatio negationis, sed negatio alicujus positivi.

INSTAT quartò idem. Quando totum aliquid, dicit duas partes positivas, & tertium aliquid negativum, si maneant in rerum natura, duo positiva, & sola negatio pereat, tunc nò potest de novo intelligi, nisi negatio solius negationis, sed in denominatione mei existentis hic, duo positiva locus & corpus manent. Ergo solum est cessatio, seu negatio illius negativi.

RESPONDETUR, illo casu manere quidem corpus, quoad existentiam in rerum natura, sed corpus pro illo loco ita se habet, ac si non esset in rerum natura, unde negatio subsequuta, non erit ne-

gatio negationis, sed negatio illius, quod ita est, ac si non esset.

Continuatur solutio argumentorum.

OBJICIT sextò Oviedo. DEUS potuit creare mundum, cum eo ordine, quem nunc habet in spatio alio, v.g. in hoc, in quo potest hodie creare mundum alium, quo casu non esset hic mundus in eodem loco. Ergo esse in eodem loco, non est habere hunc tantum ordinem, sed aliquid aliud præter hæc, & hoc est præsentia.

RESPONDETUR. Per Aristot: totus hic mundus acceptus scilicet secundum supremam sphaeram externam partem, non est in loco, sed posito etiam hoc, universum, secundum rationem universi, esse in loco, si hoc ipsum universum in alio loco crearetur, haberet alium locum, quia haberet aliam negationem, distantiam ab alio scilicet illo spatio.

INSTAT Ovied: Ad hoc, ut novus effectus formalis reperiat, requiritur nova productio connotati, sed ad hoc ut aliquid sit in loco, cum non fuerit, non potest novum aliquid connotatum assignari, quod producat, nisi præsentia modalis.

RESPONDETUR ad hoc, ut nova formalitas oriatur, est necesse produci novum connotatum, si fiat mutatio in entibus, non verò, si fiat mutatio in non entibus, cum enim non entia produci nequeant, debet tantum ostendi novam negationem pullulare, quid est enim v.g. annihilatio nova Petri, certè non est productio novæ entitatis, sed est ipse Petrus non existens, & dum ab esse existentis ad non esse existentis transitur, non producit aliquid novum connotatum, sed nova sola pullulat negatio, hoc est subtractio concursus conservativi. Deinde ipsa adductio corporis locati, quæ non fuit, est quasi pro hoc locato, æquivalens productio illius, cum antequam esset adductum, pro illo loco, habuerit se ac si non esset. Quamvis autem producat per nos novum connotatum, ac producat per Modalistas nova præsentia modalis, non sequitur æquè per utramque sententiam, non servari illud principium, Non sunt multiplicanda entia &c, &c. Certè enim istud principium, non vetat multiplicari negationes, præcipuè si substituuntur ad id salvandum, quod alii salvant, non nisi per entitates.

OBJICIT septimò Arriaga, indistantia est aliquid separabile à me & loco. Ergo est entitas aliqua realis.

RESPONDETUR. Annihilatio mei est aliquid separabile à me & existente DEO, & tamen non est entitas aliqua. Duratio item, est à me aliquid separabile, à quantitate item ratio termini & tamen hæc per Modalistas multos, non distinguitur entitativè. Quòd si dicas hæc, non esse separabilia propriè, si item durationem dicas non esse separabilem ab Ente, secundum quòd duratio,

tio, dicit aliquid in recto, dicit enim ipsam entitatem rei, ita & in presenti dicitur indistantiam, secundum id, quod dicit in recto, non esse separabilem à locato &c. Denique dici potest indistantiam non esse separabilem in circumstantia entitatis locati, negationeque corporis interceptibilis, inter locatum & locum, in quibus tantum circumstantiis, identificatur indistantia.

INSTAT primò Arriaga, Præsentia localis, per nos, est carentia distantie. Ergo distantia, est aliquid positivum, distantia autem, est Ubicatio. Deinde, quid majus habet distantia, ut sit quid positivum quàm approximatio.

RESPONDETUR ex dictis suprà, præsentiam localem diverso respectu esse quid positivum, in quantum scilicet importat locale, negativum autem, in quantum negat corpus interceptibile inter se & locum. Distantia etiam diverso respectu, est quid positivum, in quantum dicit corpus interceptum, vel interceptibile, & diverso respectu, est quid negativum, in quantum dicit, hic, negationem locati.

INSTAT secundò. Angeli sunt præsentia corporibus & Cælo, non per negationem corporis intercepti, quia in eodem loco, in quo sunt Angeli, potest esse corpus. Ergo præsentia non est ista negatio Corporis intercepti.

RESPONDETUR. Nos hic loqui de loco Materiali. Præsentia verò ut sic posset describi; Quòd sit entitas, prout dicit negationem spatii intercepti, vel interceptibilis, inter Angelum enim, & inter hoc spatium ubi est, secundum quod in illo est, nec interceptitur, nec intercepti potest, ullum spatium, ly spatium, accipiendo prout est, quid commune ad locum, vacuum &c. Deinde dici potest, distinguendas esse has duas propositiones; possunt esse in eodem loco, in quo sunt Angeli, corpora, & hæc propositio est vera, Spiritus enim ob defectum quantitatis, habet vim penetrandi corpus, & alia est hæc propositio; inter Angelum in Oriente positum, & Angelum in Occidente positum, non potest intercepti corpus, & hæc propositio est falsa, verumque est oppositum, hoc est posse intercepti Corpus, ad quod solum, respicit nostra sententia.

INSTAT tertio. Per hoc, quod sum hic, nihil positivum ampliùs habeo, quàm si non essem, neque si essem alibi, & non hic, carerem aliquo positivo, Ergo non potest esse in posteriori naturæ aliqua negatio, quæ non fuerit in priori naturæ.

RESPONDETUR. Quamvis nihil positivum superadditum ego habeo, quòd hic sum, locus tamen ipse, habet aliquid positivum superadditum, quod non haberet nisi essem hic, nempe meam entitatem, quam negatio distantie, in recto dicit, & sicut sufficit per multos Modalistas ponere aliquid positivum in sola materia, ad hoc ut fiat compositum, censeturque non solum Materia sed & forma uniri, ita sufficit ad esse Ubi, ut

ipsi loco superaddatur aliquid positivum, quod antea non continebat, nempe entitatem locati.

INSTAT quartò idem. Ex dictis sequi circumvitiolum, dicitur enim rem esse hic, est nulum alium esse hic, & rursus alium esse hic, est me non esse hic.

RESPONDETUR. Me esse hic, non explicatur per hoc, quia nullus alius est hic, quia duo entia v.g. Angeli possunt esse in eodem loco, & tamè unum non dicit, quòd nullus alius est hic: Me ergo esse hic, est mea entitas, dicens negationem distantie ab hoc spatio. Consequenter vides, quòd in priori antequam expellantur alia corpora ab hoc loco in quo sum, prius est natura me esse hic, quia positio mea entitatis est causa expulsiōis aliorum corporum, sicut ingressus venti, est causa apertionis fenestrarum.

INSTAT quintò, in hac sententia non potest intelligi, quomodo aliqua causa efficiens possit me hic ponere, nec enim producit me, nec locum, negatio autem in se produci non potest, quæ tamen per nos formalizat Ubi.

RESPONDETUR, eò modo quo producitur Pater, durans, dextrum &c. eo modo producitur ab efficiente esse hic; quia scilicet ponitur entitas, in his circumstantiis, in quibus postea hæc formalitas resultat.

Punctum Difficultatis 3.

An possit esse corpus sine ullo, Vbi.

RESolvenda est difficultas, tam in principiis modalium, quàm in principiis nostris.

DICENDUM est primò. Posito, quòd Vbi, sit Modalitas, possibile est, ut maneat locale sine ullo ubi Modalis, Ita Vasq: & Ovied: contra Suar: & Arriaga.

PROBATUR primò. Quia hoc, non implicat contradictionem.

PROBATUR secundò. Entitas locale, non est entitas Ubi modalis, concursus item conservativus, quem DEUS exhibet ipsi locali, non est idem cum concursu conservativo, quem exhibet DEUS ipsi Ubi modalis; nam conservatio, multiplicatur ad multiplicationem entis, Ergo saltè ab una parte, poterunt esse sine se, ad permanentiam.

PROBATUR tertio. Ex essentia modorū, hoc sequitur, ut possit esse modificatum sine modo, licet modus non possit esse sine modificato, ex quo jam sic urgetur, Non solum modus ut sic, sed & omnes modi in particulari accepti, servant essentiam modorum, Ergo si ex vi essentiae modorum, possunt esse modificata sine modo, poterunt etiam esse sine modis, his in particulari.

RESPONDEBIS. Sine quocunq; calamo distributivè accepto, potest esse scriptio, non tamen sine

sine omni calamo. Ergo etiam quamvis locale possit esse sine quocunque Ubi, distributive accepto, non sequetur, quod possit esse sine omni Ubi.

CONTRA, quia non nisi ex suppositione, quod sit scribendum, est necessarius calamus, sed independentem à suppositione scriptionis, nullus est necessarius. Ergo etiam non nisi ex suppositione quod debeat esse locale, in loco, erit necessarium Ubi, sed independentem à suppositione locationis, non erit necessarium; possibile autem est, ut sit locale, sine ulla suppositione locationis.

OBJICI primò Suar: Angelus eo casu vel esset distans à mundo vel indistans: Si esset distans, Ergo haberet Ubicationem alibi; si indistans, Ergo haberet approximationem, quia approximatio, constituitur formaliter, per præsentiam.

RESPONDETUR, in principiis Modalium, dici posset, illum Angelum, non fore indistantem formaliter, fore tamen indistantem materialiter, & radicaliter. Seu, ut alii loquuntur, fore indistantem negativè, non positivè. Dici etiam posset, illum Angelum eo casu, neque fore indistantem, neque distantem, sed absolvere ab utroque, cum nec modum distantie, nec modum indistantie sit habiturus.

OBJICI secundò Arriag: Implicat quantitatem, non esse extensam, aut inextensam, hæc enim duo, privative opponuntur; Si esset extensa, Ergo haberet præsentiam, ex vi cuius, extenditur; Si inextensa, Ergo haberet partes penetratas, Ergo partes in eodem loco.

RESPONDETUR, hoc argumentum saltem universaliter non concludit, saltem enim Angelus, qui partes non habet, nec per illas extenditur, poterit ab omni Ubirate absolvi. Rursus saltem poterit res materialis, si spoliatur omni quantitate, quæ per nos distinguitur realiter à quanto, quidquid in oppositum voluerit Arriag. poterit inquam res materialis sine ullo Ubi existere.

Directè autem in principiis Modalistarum dici potest, illo casu, fore illas partes, in eodem vel diverso loco, negativè, non autem positivè. Deinde cum extensio non sit idem cum præsentia, sunt enim diversi prædicamenti, extensioque quantitatem in præsentia sequitur, quæ non est modus, poterit esse extensio sine præsentia, nam desinitio entitatis, quæ est præsentia, non infert desinitioem alijs entitatis, quæ est quantitativa extensio, consequenter erit illis diversitas loci extensiva, non Ubicilis.

OBJICIUNTUR tertio Paritates aliquæ.

PRIMA Paritas. Non est possibilis linea, quæ neque sit curva, neque recta. Ergo neque possibilis creatura absolvens ab omni Ubicatione.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia hoc ipso daretur individuum genericum à parte rei, nam linea quæ est genus, dividitur in curvam &

rectam, tanquam suas species, tale autem nullum absurdum sequeretur, si creatura absolvat ab omni Ubicatione. Deinde, si legitima daretur comparatio, deberet ita poni, ut lineæ Ubicatio, rectæ autem & curvæ, opponatur hic vel ibi, teneretque paritas, quod sicut, impossibile est, esse lineam, & tamen, nec curvam, nec rectam, ita impossibile sit Ubi, quod, neque sit hic, neque alibi. Cæterum sicut potest non esse linea, ita poterit & nullum esse Ubi. Deinde curvitas & rectitudo lineæ opponuntur contradictoriè, nihil enim formalissimè est curvitas, nisi negatio rectitudinis, & cum ex contradictoriis alterutrum competere debeat, si linea non est recta, & tamè est linea, curva erit; præsentia autem, & ipsa Ubi, opponuntur contrariè, hinc si careat locale uno Ubi, non est necesse ut habeat aliud Ubi.

SECUNDA Paritas est: Non est possibilis creatura, quæ sit, & durationem non habeat. Ergo & quæ non habeat præsentialitatem.

RESPONDETUR. Si duratio sit modus, Negandum est Antecedens; si autem non sit modus, disparitas est, quia non est alietas entis continuatè existentis à duratione, adeoque nec separabilitas, jam autem alietas est Entis localis, à modo Ubicatis.

TERTIA Paritas est. Non potest esse aliquid existens sine omni relatione, Ergo neque sine omni Ubicatione.

RESPONDETUR. Quia relatio, est quid identificatum, in circumstantia termini, Modus autem Ubicatis non identificatur.

QUARTA Paritas, Forma, non potest esse in subiecto sine unione, Ergo neque sine Ubicatione.

RESPONDETUR, ly in subiecto ut teneat antecedens, supponit pro conjuncto substantialiter; si autem esset sine unione conjunctum, esset sine conjunctione conjunctum, adeoque non conjunctum, non sequeretur autem esse ens aliquid præsens formaliter, & positivè, sine ubicatione.

QUINTA Paritas. Non potest esse creatura sine omni actione producta, Ergo neque sine omni Ubi.

RESPONDETUR. Cum creatio sit, indistincta à re creata, falsum est Antecedens, si procedat de actione distincta, si autem procedat etiam de actione indistincta, disparitas erit, quia hoc ipso illa creatura non esset acta, non enim quidquam est actum, sine actione, si non esset acta, hoc ipso non esset creatura, pro consequenti autem nullum absurdum.

Examinat multo paratu hanc & paritatem, & argumentum Oviedo. Implicat creatura quæ non sit præsens DEO, Ergo implicat creatura absolvens ab omni præsentialitate, sed in principiis Modalium dici potest, implicare creaturam, quæ non sit præsens DEO negativè, potest tamè non esse præsens DEO positivè.

Ut

Ut in principiis nostris resolvatur hæc difficultas.

PRÆMITTO primò. *Quod duplex possit haberi, esse, cujus interceptionem negat præsentia hic;* Primò potest haberi esse corporis, quod de facto datur interceptibilis, & hæc non esset universalis ratio salvandi aliquem esse hic, nam si inter aliquem & locum, intercepti potest, quodcunque creabile corpus, hoc ipso non sum hic. Secundò esse cujus interceptibilitatem negat indistantia, potest cogitari quodcunque spatium, quodcunque tandem corpus, quicunque tandem Spiritus, & per hoc rigorose salvatur indistantia, si enim vel Angelus, inter me, & locum, in quo sum mediè, intercepti potest, hoc ipso hic non sum, sed neque hic modus est, universalissimus, quod ut intelligatur.

PRÆMITTO secundò. *In triplici supposito cogitari posse esse aliquid, interceptibile, inter locum & spatium, in quo est locatum.* Primò spatium vel corpus actu existens, quod intercepti possit, & hoc per acciden, ut dixi, salvatur rationem ubi, sufficit enim ne sum hic quodcunque aliud corpus posse intercepti. Secundò potest cogitari interceptibile non quidem actu, possibiliter tamen existens, & sic rebus omnibus annihilatis, & solo relicto, Petro, inter DEUM & Petrum non posset intercepti aer, qui est possibilis. Tertiò cogitari potest, si DEUS & una tantum creatura esset possibilis, reliqua impossibilia, adhuc tamen temporis creatura, non distaret à DEO, & tamen per negationem alicujus intercepti, vel interceptibilis, indistantia illius salvari non posset, nullum enim jam esset interceptibile, sicut nec modò indistantia mea, per hoc salvari potest, quia inter me & DEUM non potest intercepti chymæra. Ut ergo salvetur, quo modo impossibilibus quibuscunque spatiis realibus, interceptibilibus, adhuc creatura non sit distans à DEO.

PRÆMITTO tertiò. *Quod quamvis ad clariùs explicandum dicamus, præsentiam Petri esse ipsiusmet entitatem Petri, prout dicit negationem spatii interceptibilis, & quod spatium istud, ejusque negatio, magis sit accommodata nostris phantasmatibus, & quæ appellari potest præsentia negativa, superest tamen aliud, idem explicandi modus, per præsentiam, quam supra appellavimus positivam, quæ est entitas Petri, importans se esse illicubi est, vel ut superius diximus, est ipsum esse locati, prout negat negationem sui esse hic, quod totum salvari potest, sine ulla Entitate Modali.*

DICENDUM est secundò. *Non esse possibile ut separetur à locato id, quod, ubi, dicit in Recto.*

RATIO. Quia idem separetur à seipso dicit enim in recto, ipsum locatum.

DICENDUM est tertiò. *Non esse possibilem Creaturam actualem, quæ absolvat ab eo, quod suo modo importat. Ubi in obliquo, ita ut absolvat ab omni præsentia.* Dixi Actualem, quia Anti-Christus nullam habet præsentiam, quia necesse, quod esse, primò impotat præsentia.

PROBATUR primò. Auctoritate S. Augustini ex Epistola 57. ad Dardanum, ubi censet ea quæ nusquam sunt, non esse.

PROBATUR secundò. Argumentis contra Conclusionem primam adlatis, quæ evincunt negativam præsentiam, non posse creaturam spoliari supposito, quod existat, quamvis positivam superadditam spoliatur, & quia apud nos nulla est præsentia superaddita hoc ipso, si existat non poterit illa omni absolute spoliari.

PROBATUR tertiò. Vel est possibile, ut creatura existens non existat immensitati Divinæ, hoc est, ut illic non sit immensitas Dei, ubi est creatura Dei, aut si vis ita dicere, in illo nullibi in quo est abusive creatura, vel non est possibile, ut creatura non coexistat immensitati Dei; Si non est possibile, ut non coexistat immensitati Dei, habet ergo suum Ubi, nam secundum illam phrasim, negativè Ubi explicantem, inter Deum, & illam Creaturam, nihil est, interceptibile; Si autem non est illic immensitas Dei, derogas eadem, & adhuc tamen sequitur, non absolvere tunc creaturam, ab omni Ubi, quia non absolvit ab illo, illic spatii, in quo, illic spatii est.

ADDO. Non est dubium quod possit esse corpus, sine ullo ubi extrinseco, quia posset poni in vacuo, in spatiis extra Cælos.

DIFFICULTAS II.

De divisione in locum definitivum & circumscriptivum.

PRÆMITTO primò. *Quid sit esse definitivè in loco, & quid circumscriptivè.* Definitivè esse in loco, est ita esse, ut locatum totum sit in toto, & totum in qualibet parte. Circumscriptivè autem esse in loco, est ita esse, ut pars locati, parti loci, ut totum locatum, toti loco respondeat. Primum illud Vbi, est proprium spiritualium. Secundum etiam corporeorum. Sed quomodo res spiritualis, dicetur esse tota in toto, & tota in qualibet parte, cum non habeat partes v. g. Angelus, immò quomodo erit tota in toto, quia comparando Vbi intrinsecum rei ad Vbicarum, videtur significari, quod totum adveniat toti, ut ita sit totum in toto. Sed cogitandum non est, quasi sit duplex præsentia definitiva, una, quæ singulis partibus, & alia quæ toti conveniat; sed per hoc solum significatur; quod quamvis in singulis partibus loci sit totum, non

† h h

tamen

tamen plura illic sint tota, sed Unum, loquitur-
que definitio, non de partibus ubicati, sed de
partibus loci. Licet casu quo ubicatum habeat
partes, possit id accommodari ad partes ubica-
ti, & ita corpus Christi totum est, in singulis et-
iam articulis Christi, & articulus in toto corpo-
re, idque titulo penetrationis.

PRÆMITTO secundò. *Rem corpoream, posse ha-
bere ubi definitivum.*

RATIO. Quia ipsum Mysterium Eucharistiae,
positioque in eo corporis Christi id suadet. Cæ-
terum substantia spiritalis, non potest esse cir-
cumscriptivè in loco, cum enim partes non ha-
beat, quomodo pars illius, parti loci correspon-
deat: admissio per impossibile quod sit aliqua
substantia spiritalis, & tamen habens partes,
admissio etiam, quod in intensione spiritalis
qualitatis, sint partes, & non plura tota, non-
dum illud intensum, poterit esse circumscrip-
tivè in loco, quia adhuc ut extensè aliquid in lo-
co, requiritur principium, ut ita dicam evoluti-
vum extensionis, nempe quantitas, quæ tamen
rei spiritali non convenit. Nisi forte compe-
tat illi beneficium extensionis virtualis, quale
beneficium competit Angelo, in ordine ad im-
plendam totam sphaeram locabilitatis divisibi-
lem, neque tamen inde sequetur, quod si Ange-
lus haberet partes, ut intensio spiritalis habet,
& insuper habendo virtutem illam extensio-
nem quod possit esse circumscriptivè in loco,
nam virtualis illa extensio, non excludit pene-
trationem. Unde & Angelus habendo partes
illas penetratas cum toto, non posset circums-
criptivè occupare locum, nam impenetrabili-
tatem adjunctam habet, nonnisi quantitas for-
malis, quantum quidem per experientiam col-
ligimus. Si tamen daretur res spiritalis habens
partes, habens beneficium extensionis virtualis,
& insuper impenetrabilitatem spiritualementem, non
apparet quare talis res spiritalis, non deberet
occupare locum circumscriptivè.

PRÆMITTO tertio. *Quod divinitus corpus, in eo-
dem loco possit & ubi definitivum, & ubi circum-
scriptivum.*

RATIO. Tum quia, nulla in hoc repugnan-
tia. Tum quia, ubi est Christi caput circums-
criptivè, potest illic poni, per ubi definitivum,
totum corpus Christi. Tum quia potest facere
Deus decretum, ut eam continentiam, & am-
bientiam, quam exercent species Sacramenta-
les, respectu corporis Christi habeat ipsum cor-
pus replicatum, ita ut circumscriptivè positum,
ambiat ubi illa definitiva, ejusdem corporis
Christi.

PRÆMITTO quarto. *Quod sicut ubi intrinse-
cum indistinguitur modaliter ab ubicato, ita indi-
stinguitur ubi definitivum, & circumscriptivum,
à suis ubicatis naturaliter, dixi naturaliter, quia
posset esse difficultas, an ubi definitivum cor-*

porum, non sit quid superadditum. Ratio du-
bitandi. Quia possibile est, ut corpus habeat ubi,
& non habeat definitivum, per quid ergo tran-
sit, ad tale ubi, nam ad ubi naturale ostensa su-
pra mutatio, in negatione corporis intercepti-
bilis, quæ negatio, non apparet, quid conferat
corpori, ad ubi nonnisi definitivum. Qui ta-
men vellet universaliter dicere, nullum ubi,
esse modalitatem, diceret, sufficientem muta-
tionem ad tale ubi, esse impeditionem quanti-
tatis quoad impenetrationem, hoc ipso enim
quod corpus maneat penetratum, dicensque
negationem supra explicatam distantiam, hoc
ipso habebit ubi definitivum. Sed quomodo
ad hanc ipsam penetrationem veniatur, & qui-
dem veniri facile potest, per ablationem ipsius-
met quantitatis, hoc ipso enim jam erit illud
corpus penetratum, adeoque habens ubi, non-
nisi definitivum. Sed difficilius est ostendere,
quomodo deveniatur ad istam penetrationem,
retentâ etiam quantitate, videtur enim debere
provenire, nonnisi per superadditum ubi, pos-
setque hoc defendi ita, ut superaddita illa mo-
dalitas, non sit ad faciendam rem indistantem,
hæc enim indistantia haberi potest, ab aliquo
negativo, sed ad impeditionem impenetrabili-
tatis. Cæterum addi hoc potest, quod videat-
ur non debere concedi dari modalitatem,
quæ sit impeditiva quantitatis, ne reddat ali-
quod impenetrabile, quamvis enim talis moda-
litas possit poni, sed videtur hoc revocari posse,
ad aliquid intimius, ne ita multiplicentur
entia sine necessitate, nempe ad subtractionem
concurfus, ad istos secundarios effectus. Hic ta-
men ipse concurfus, ad secundarios effectus, in
hoc habet difficultatem, quia sicut ipse effectus
formalis primarius, indistinguitur à forma uni-
ta, subjecto capaci, ita ut concurfus ad effectum
formalem primarium, à parte Dei, non alius
est, quam concurfus conservativus ipsiusmet
entitatis formæ, subtractioque hujus concurfus,
causaret non existentiam ipsiusmet formæ, ita à
paritate etiam concurfus, ad effectus forma-
les secundarios, videtur non posse sub-
trahi.

Totum hoc ulterius urgeri posset, sed ita, ut
extrahatur difficultas, non ad ubi definitivum,
casu quo, illud competat corporibus, sed ad
hoc, quid sit impediti effectum secundarium
ipsiusmet formæ, quæ duo distincta sunt.
Quia tamen salva entitate formæ, possunt illius
effectus secundarii impediti, quod colligit
Christiana Philosophia, vel ex eo mysterio
Eucharistico, in quo est quantitas corporis
Christi, & tamen non habet effectus suos secun-
darios, hinc colligitur, effectus secundarios, non
perfici ipsa absolute entitate, formæ unitæ,
subjecto capaci, sed per aliquid distinctum, hinc
huic distincto, in quod refertur impenetratio,
si subtrahatur concurfus, erit jam sufficiens
muta-

mutatio, ad ubi definitivum corporibus com-
petens.

PRÆMITTO quintò. *Unam eandemque rem, pos-
se habere in loco uno, ubi definitivum, in alio circa
circumscriptivum.* Ratio. Quia ex Christiana
Philosophia fundata in fide, & in principio, non
implicat. Christus est in coelo circumscriptivè,
& in Eucharistia definitivè. His quæ non ita
multum disputantur, præmissis. *Sic*

Punctum Difficultatis I.

*An unum corpus possit esse circumscriptivè in
pluribus locis.*

NEgat S. Thomas & Vasquez 3. par. d. 169. c.
5. licet oppositum videatur innuere Tomo
4. d. 6. q. 3. c. 1. & 23. affirmat autem Scot. Suar. &
alii communiter.

DICENDUM est. *posse id fieri.*

PROBATUR primò. Quia nulla est in hoc im-
plicancia.

PROBATUR secundò. Quia si hoc implicaret,
implicaret vel ratione repetitionis & replica-
tionis corporis, vel ratione replicationis cum
circumscriptione, non ratione replicationis
corporis, quia corpus Christi defacto per plures
definitivas præsentias multiplicatur; non ra-
tionem replicationis cum circumscriptione,
quia replicatum corpus supernaturaliter, quan-
tum est de se, potius exigit multiplicari circum-
scriptivè, quia exigit non impediri ea, quæ sunt
secundum suam naturalem inclinationem &
bonum, præcipuè si ipsa præcisè replicatio, non
deposcat illius boni sublationem, ut non depo-
scat destructionem ubi circumscriptivi. Quod
ipsum probatur. Quando Deus replicat corpus
actio replicativa quæ talis, non est essentialiter
actio impeditiva quantitatis, effectumque il-
lius secundariorum, qui inter alios est extensio
partium in ordine ad locum.

PROBATUR tertio communiter. Non repu-
gnat duplex definitiva præsentia. Ergo nec
duplex circumscriptiva, imò magis repugnat
duplex definitiva, quam duplex circumscripti-
va, ad eum modum, quo magis repugnat igni,
non habere calorem quam habere duplicem;
ita etiam magis repugnat, non habere cir-
cumscriptivam præsentiam, quam habere du-
plicem.

OBJICITUR primò. Assumendo principia
Philosophica.

PRIMUM Principium. Unum, est quid indi-
visum in se, & divisum à quolibet alio, ex quo
sic arguitur, corpus replicatum circumscripti-
vè existens in duplici loco, & esset idem corpus,

ut supponitur, & non esset idem, quia positum
circumscriptivè in duplici loco, non esset indi-
visum à se.

RESPONDETUR. Imprimis argumentum mul-
tum probat, quia probat, quod idem corpus,
nec duplicem definitivam præsentiam habere
possit. Deinde Suar. dicit: Illud corpus ratio-
ne diversarum præsentiarum, posse distare à se-
ipso, in idem recidet, quod alii dicunt, fore illud
corpus divisum, à se non quoad entitatem, sed
quoad locum & præsentiam. Lugo tamen dif-
f. de Eucharist. Sect. 17. negat illa duo corpora
distare à se, quia distantia dicit distinctionem
duorum, quæ distant, quæ distinctio illic non
est: Et sicut si paries haberet duplicem albedi-
nem, non esset similis sibi ipsi, sic nec in præ-
senti divisus à seipso.

Quod attinet ad assumptum principium, po-
sita etiam replicatione salvari potest, quomodo
replicatum sit indivisum in se, & divisum à quo-
libet alio, erit inquam indivisum in se, quia re-
plicatio non facit illud, aliud à se: Rursus quia
replicatio, non facit, ut divisio in illo fiat quod
replicatur, sed totum replicatur, cum sua in-
divisione, erit autem replicatum divisum, et-
iam à quolibet alio, quia entitas replicati, non
est entitas alius, sive replicati, sive non repli-
cati.

SECUNDUM Principium. Locatum non de-
bet esse majus loco, & tamen si aliquid posset
poni in duplici loco circumscriptivè, sequeretur
oppositum, nam ex vi hujus præsentia com-
mensuraretur cum hoc loco, ex vi alius præsen-
tia, cum alio loco.

RESPONDETUR. Ad hoc salvandum princi-
pium, sufficit dicere, quod locatum prout est in
hoc loco, non excedat suum locum, & prout
est in alio, non excedat illum alium locum. Ad-
dit Oviedo, quod sicut ex duabus præsentis,
non constituitur una præsentia, quæ sit major
locato, sic nec ex duobus locis constituitur unus
locus, major locato; sed tantum sunt duo spa-
tia, quorum utrumque æquale est corpori, pro-
ut illud continet.

TERTIUM Principium. Effectus formalis non
potest crescere, nisi crescat ipsa forma, & ita
non potest fieri magis calidum, nisi crescat ca-
lor, sed extensio localis est effectus formalis
quantitatis, ergo crescere non potest sine quan-
titate: Ergo nec duplicem circumscriptivam
præsentiam habere potest, sine duplici quan-
titate.

RESPONDETUR. Ex vi hujus argumenti sequi,
esse possibilem replicationem circumscripti-
vam, saltem duplici quantitate posita, in eo-
dem replicabili: ad medium autem terminum
dici potest, quamvis non possit aliquid magis
esse calidum, nisi crescat calor, tamen fieri
potest replicatio ejusdem caloris, nullo novo
superaddito gradu, quo casu non crescet calor,
† h h 2 quia

quia crescere calorem notat additionem caloris non præhabiti, & tamen replicabitur; sic & in præfenti non crescet quantitas, & tamen repetitò ponetur replicatum, non ergo crescet tum replicatum, sed multiplicabitur, seu repetitò ponetur.

Obijcitur secundò ex absurdo. Si posset poni in duplici loco circumscriptivè corpus, posset in pluribus, consequenter & in infinitis; quod dici non potest; alias posset poni ubique, adeoque posset habere æqualitatem cum immensitate Divina.

RESPONDETUR. Posse poni corpus in infinitis spatiis syncategorematicè, distinguitur tamen ab immensitate, etiam per hoc, quia ex vi hujus replicationis, quæ actu habetur, non est jus in illa creatura replicata, ad alibi etiam existendum, quod convenit immensitati.

Obijcitur tertio. Circumscriptiva præfentia ita constituit corpus in hoc spatio, ut non possit esse extra illud.

RESPONDETUR. Negand. assumptum quod ad maximum verificatur, ut scilicet non possit esse extra illud spatium, in quo non est circumscriptivè.

Obijciuntur quartò Paritates aliqua.

PRIMA Paritas est. Non potest esse simul idem in duobus temporibus. Ergo nec in duobus locis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia tempus, ex ratione successivi, importat prius & posterius: si ergo coexistat ei, quod prius est, non est tunc coexistere illi posteriori, cum posterius non sit simul cum priori, bene autem possunt esse duo spatia simul, in quibus existatur.

SECUNDA Paritas est. Non potest idem poni in eodem loco, per diversas præfentias. Ergo nec in pluribus locis per replicationem.

RESPONDETUR. Si est præfentia indistincta ab entitate, sicut eadem entitas non potest esse diversa à seipsa, ita nec potest habere diversas præfentias; si autem præfentia est distincta modaliter, si diversitas sit penes præfentiam ejusdem loci, potest duplici præfentia in eodem loco existere; si autem sit diversitas secundum præfentiam in alio loco, hoc ipso jam & esset in eodem loco, ut supponitur, & non esset, quia haberet præfentiam alius loci, quod absurdum non sequeretur in præfenti, quia nullo modo in uno, sed in duobus locis esset.

TERTIA Paritas est. Idem non potest habere plures figuras: Ergo nec duplex ubi circumscriptivum.

RESPONDETUR. Hac paritate impugnari etiam duplex ubi definitivum. Disparitas est, quia figura, est quantitas ita terminata, quæ si ita terminata est, adeoque hanc figuram habens, non potest esse non ita terminata, adeoque non habens talem figuram, nullum autem simile ab-

surdum sequeretur, si ponantur ejusdem esse duo circumscriptiva ubi.

Obijcitur quintò. Sequeretur data tali circumscriptiva duplici præfentia, idem in uno loco moveri, in alio non moveri, vel unum duobus, motibus moveri, &c. quæ omnia sunt absurda. Ut hoc argumentum solvatur. Sit:

Punctum Difficultatis 2.

De prædicatis replicati entis.

PRÆMITTO primò. *Aliqua esse prædicata, quæ sunt identificata substantiæ rei.* v.g. ratio animalis, ratio rationalis, identificantur homini, ratio item creaturæ, & alia ejusdem prædicata primò vel secundò essentialia, quæcunque item proprietates Metaphysicæ, & hæc non possunt non replicari, replicato homine.

RATIO. Quia & esset tunc homo replicatus ut supponitur, & non esset replicatus homo, cum illius entitas non sit replicata, cum illa omnia, sint hominis entitas.

PRÆMITTO secundò. *Aliqua esse prædicata, quæ sunt quidem essentialia homini, Physicè spectato, una tamen pars non est identificata alteri, & sic v.g. ratio Materię, est essentialis homini, non tamen identificatur alteri compati, nempe formæ, & circa hæc dupliciter replicatio fieri potest, vel totalis, vel tantum partialis, potest enim replicari vel totus homo, vel nonnisi pars illius, hoc est v.g. Materia, quod possit replicari nonnisi Materia v.g. resolvitur in principium, quia non implicat, habetque suam diversam entitatem secundum quam, si potuit replicari ante unionem, cur posita etiam unionem replicari non poterit? Cæterum si replicetur, petit ob naturalem concomitantiam, replicari etiam formam & unionem, quod in simili agnoscit Trid. scilicet 13. c. 3. quod censet, quamvis vi verborum ponatur solum corpus, propter naturalem connexionem, poni etiam animam. Cumque bonum sit materiæ hic & nunc hæc Forma, hæc Unio deposcit ut etiam replicata, cum suis sit bonis.*

Casu verò quo totum compositum replicetur materia & forma & unio replicari debet.

RATIO, quia & replicaretur totum ut supponitur, & non replicaretur totum, quia totum nihil aliud est, nisi illa tria.

PRÆMITTO tertio. *Si ve potentia, si ve accidentia realiter distincta à subjecto, absolute loquendo, possunt non replicari subjecto replicato, neque enim hoc implicat. Supponuntur enim habere entitates condistinctas, exigit tamen illa replicari subjectum, quia sunt bonum illius.*

DICES

Dices primò. Non potest subjectum moveri localiter, non motis iis, cum quibus unitur, Ergo nec potest replicari subjectum, nisi replicatis omnibus, quæ sunt in subjecto.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia, si moto subjecto non moverentur subjectata, hoc ipso jam daretur disunio, quæ non sequeretur, si replicetur Petrus Romæ existens, ita ut simul ponatur Neapoli, manentibus accidentibus unitis Petro v.g. Romæ, licet non uniatur v.g. Neapoli existenti Petro, unde nec periret tunc unio illorum accidentium, sed tantum non replicaretur.

INSTABIS. Si possent illa accidentia non replicari, & haberet illa corpus, ut supponitur, & non haberet, quia non replicarentur.

RESPONDETUR. Ex eo, qui illa accidentia non replicarentur, non sequeretur absoluta veritas huius propositionis; Substantia non habet hæc accidentia, quia ad hoc verificandum, non solum est necesse, ut ea non habeat Neapoli, sed etiam ut nullibi habeat, ad eum modum, quo non sequitur absoluta veritas huius Propositionis, Petrus non habet pecuniam, quia illam non habet in manu.

Dices secundò. Immeritò assumi, quod connaturaliter loquendo exigit subjectum, replicari illa accidentia. Reproductio enim est magis miraculosa, & minus connaturalis, quam reproductio alterius numero distincti accidentis. Ergo si subjectum non exigit produci alia numero accidentia, nec petet replicari.

RESPONDETUR. Si comparentur inter se replicatio & reproductio, est magis connaturalis reproductio, quam replicatio, sed si utrumque comparetur ad subjectum replicatum, connaturalior jam est subjecto, accidentium quæ sibi unita sunt, replicatio, idque ideo, quia illa jam sunt bonum illius, & perfectio actualis, quæ ipsa etiam deposcit, sequi conditionem subjecti.

INSTABIS primò. Ergo connaturale illi subjecto est aliquid supernaturale, nempe replicatio, quam deposcit.

RESPONDETUR. Ex suppositione supernaturalitatis, potest aliquid supernaturale connaturale reddi, sicut intellectus informatus Lumine gloriæ, connaturaliter deposcit, non impediri, ne videat Deum, exigitque jam connaturaliter visionem, quam non exigit independentem à suppositione elevationis.

INSTABIS secundò. Natura constituta in diverso loco, connaturalius petit diversum pondus attollere, & non idem, amisso item accidenti, connaturalius est aliud simile produci, quam idem reproduci. Ergo & connaturalius est, diversa accidentia produci, quam eadem replicari.

RESPONDETUR. Quod attinet ad pondus, disparitas est, quia pondus non supponitur esse unitum potentie attollenti, imò diversam ha-

bet unionem indistantiæ, ratione cuius petit ab hoc attolli, imò, si idem haberet unionem indistantiæ, idem peteret attolli quia autem subjecto, supponuntur unita esse illa accidentia, petet illa produci. Quod autem attinet ad secundum, dici potest, quod quando subjectum deperdit accidens, non supponatur pro tunc habere cum illo connexionem, adeoque nec supponitur ex vi connexionis, deponere reproductioem illius, aliàs insuper obstante principio, quod à privatione ad habitum, non detur regressus: jam autem natura replicata, supponitur unita suis accidentibus, vi ergo huius unionis deponit illa, ne bono suo actuali spoliatur, reproduci, cum insuper non detur ullum principium, quod deponat, ne ponatur illorum replicatio.

INSTABIS tertio. Materia pedis unitur animæ rationali, & tamen non est, ubicunque est anima rationalis, nec petit esse connaturaliter. Ergo nec est iuxta naturam rerum, ut ea, quæ alicui uniuntur, sint, ubicunque illud est.

RESPONDETUR Lugo. Doctrinam nostram procedere de locis adæquatis, tunc enim subjectum debet suas proprietates, & accidentia deferre, non verò debet secum habere, omnia accidentia in locis inadæquatis. Ratio. Quia in locis adæquatis ita debet existere, ac si nullibi alibi existeret, adeoque sua secum habere debet, quod non requiritur in loco inadæquato, quia partialis illa præsentia, supponit rem partialiter alibi existere, adeoque non debet esse talis, ut secum omnia deferat, quasi alibi illa habere non posset.

DICES tertio. Si potest replicari materia, non replicata forma illi unita, & erit eadem materia, & non erit, quia non erit unita, cum alibi sit unita.

RESPONDETUR. Eandem quidem fore Materiam quoad entitatem, sed non eodem modo se habentem, de quo infra in simili.

PRÆMITTO ultimò. *Accidentia dependentia à loco, quæ jam accidunt in uno loco, post transactam replicationem, absolute possunt convenire in alio loco.*

RATIO. Tum quia hoc non implicat, imò hoc semper evenire asserunt Lug. Arriag. Ovi. ed. Tum quia potest Deus replicare ipsas substantias, cur non & accidentia? Sed restat difficultas, an connaturaliter exigit illa, subjectum replicatum, habere in utroque loco, saltem, an divinitus illis carere in alio loco possit.

DICENDUM est primò. *Accidentia quæ transacta replicatione contingunt in uno loco, non est connaturale, ut fiant in alio loco.* Ita Suar. uterque. Amicus disp. 19. de Eucharist. Licet dicat actus appetendi & cognoscendi, utrobique debere esse eodem.

PROBATUR primò. Non magis inter se repugnant, desinere in uno loco, & non desinere in alio loco, quam in uno loco frige fieri, in alio

non frigeferi. Definit autem Christus, in uno loco Sacramentaliter, in alio non definit. Ergo, imò hoc ipsum quod est esse Corpus in uno loco circumscriptivè, in alio non esse, non magis repugnant, quàm in uno loco frigeferi, in alio, non frigeferi, defacto autem Christus est in cœlo circumscriptivè, non est autem circumscriptivè replicatus in Eucharistia.

PROBATUR secundò. Quia non fit id connaturaliter, cuius causa secundum cursum naturæ, ostendi non potest. Sed dictorum accidentium causa, secundum cursum naturæ, ostendi non potest. Si enim quis hic oculis privetur, quæ causa erit, ut exoculetur alibi, ad Deum autem in hac parte recurrere tanquam causam specialem, non videtur secundum cursum naturæ, tuncque Deus solus etiam agit secundum cursum naturæ, quando datur exigentia creaturarum, ut Deus solus hoc vel illud agat, ut cum ad exigentiam materiæ disposita, producit animam rationalem, non est autem causa creata, exigens hæc accidentia, tanquam aliquid replicati, cum non præsupponantur fuisse bona subiecti, unita ante replicationem, alia etiam exigentia legitima, nulla ostendi potest.

PROBATUR tertio. Quia si esset connaturale, ut accidentia quæ transactâ replicatione contingunt in uno loco, conveniant eidem in alio loco, sequeretur connaturale esse subiecto, ut unum idemque connaturaliter vivat & moriatur, sit enim in uno loco applicata medicina, quæ attendendo ad temperamentum subiecti, non potest non esse efficax, nisi miraculo impediatur, & ex altera parte propinetur uno eodem instanti v.g. venenum, quòd attendendo ad temperamentum, non potest non esse mortale, nisi accedat miraculum, jam hoc ipso connaturale illi erit, & vivere, & mori. Item in uno instanti, sit in tenebris in loco A, & in loco B, sit in luce, tunc eodem instanti, connaturaliter & deberet esse videns, & non videns. *Neque valet, si dicas, venenum pharmaco, tenebras luce destruendas, non inquam valet, quia etiam pharmacum veneno, & lux tenebris, destrui deberet, nam non una pars accidentium, sed utraque simul convenire debet. Consequenter inferes, quòd possit portare in uno loco pondus, quo majus portare non possit, & in alio loco, aliud simile, & quia utrobique nonnisi uniter, maximum pondus portabit, non portabit pondus majus, quàm portare possit. Et certè, si sequitur ex conclusione data, replicari debere pondus, supponuntur etiam replicatæ vires, & sicut ex replicatione ponderis, sequitur contra nos, à replicato portari plus quàm aliàs posset, ita sequetur contra illos, non portare replicatum plus quàm possit, siquidem replicantur ipsæ vires.*

DICENDUM est secundò. *Possibile esse, ut in uno loco replicatus eliciat unum actum, & ali-*

um in alio, quamvis illi inter se respectu ejusdem subiecti, & obiecti, saltem naturaliter impossibiles sint.

PROBATUR primò. Quia in hoc nulla est implicantia.

PROBATUR secundò. Accommodatione argumenti, suprà, primo locò facti.

CONFIRMATUR. Vi replicationis, acquirit creatura æquivalentiam quandam ad plura, quæ æquivalentia in hoc inter alia fundatur, quia concursus replicativus & ponens locatum, in loco B, cum antea fuerit nonnisi in loco A, & concursus primitus conservativus, qui continuatur in loco A, sunt concursus distincti, poterit ergo unus desinere, non desinente alio, facereque æquivalenter duo, vi cuius æquivalentiæ ad duo, potest esse hic, & non esse hic, esse productum actione uniter, & non replicativè causativà, non esse productum actione uniter sed replicativè causativà. Ergo ratione ejusdem æquivalentiæ poterit salvari, ut hic amet, illic oderit.

PROBATUR tertio. Si non posset creatura intellectualis, in uno loco amare, in alio odisse, sequitur debere componi inter se, amorem & odium, quod repugnat, & quod solum, ut evadant oppositi, dicunt utrobique debere esse, nonnisi amorem. Sit enim v.g. Petrus replicatus, Paulus item replicatus, in uno loco, Petrus replicatus demus quòd Paulo replicato lethalliter infligat vulnus, Petrus, ex principiis Amici, non est necesse, ut vulneret in alio loco Paulum. Supponamus eundem Paulum, in alio loco defendere salutem Petri contra alium, in hoc loco amabit Paulum, & quia amare non potest, quin etiam in alio loco oderit, utroque loco, & odisse debebit, & amare. Quod absurdum, in nostris principiis non sequetur, nam hic tantum amabit, illic tantum oderit.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta in Contra.

OBJICITUR primò. Si vera conclusio, sequitur eundem hominem, posse in uno loco peccare, in alio non peccare, adeoque unum & damnari, & salvari.

RESPONDET recentior Suar. Quòd fieri quidem possit, ut in uno loco peccet, in alio non peccet, utrobique tamen spoliabitur gratiâ, quia gratia, non est per ordinem ad locum, sed ad personam, bene vel malè operantem, ut autem censeatur, persona esse malè operans, sufficit, ut in uno loco malum operetur, bonum enim est, ex integra causa. *Hæc Responsio*

NON

NON SATISFACIT. Tum quia ex vi huius principii, quod bonum sit, ex integra causa non inferitur, quod si in uno loco amet Deum, non possit in alio odisse. Ergo ex eodem principio non inferetur, illum in utroque loco, debere spoliari gratia. Tum quia ex eo, quod gratia non sit, per ordinem ad locum, non sequitur, utrobique perdendam, quia etiam actus, qui eliciuntur ex præhabitis speciebus impressis, non dependent a loco, & tamen per Suar. non est necesse, ut si illis in uno loco utatur, debeat etiam uti in aliis. Tum quia sicut ipsa natura, cum suis potentiis, ita & ratio personæ tunc replicatur, sed ex vi replicationis potentiæ, potest facere unum, non facere idem in alio loco, ut censet hic recentior Suar. Ergo etiam ex vi replicate personæ, potest in uno loco habere gratiam, in alio non habere. Tum quia hæc responsio, non est conformis pluribus principiis Theologicis, tale est, quod neminem Deus per gratiam deserat, nisi ipse deseratur per peccatum, hæc autem Responsio dicit, quamvis non peccet, adeoque hic peccando non deserat, hic tamen sit a gratia deserendus. Deinde vivens posset per penitentiam delere peccatum, adeoque recipere gratiam, quid ergo fiet, si in alio loco moriatur, in quo non peccavit, & tamen jam deberet esse in inferno, utpote non decedens in gratia, quæ supponitur ab illo ablata. Dicere autem talem ad tempus cruciandum sub conditione, si superstes non penituerit, non valet; nam hoc secundum usurpatos articulos non procedit, qui nullam admittunt post mortem redemptionem, & absolutam in morte agnoscunt Dei iudicis sententiam, ad quos articulos, si procedere possit responsio ut potest, probabilior erit. *Hinc*

RESPONDETUR. Concedendo sequelam. Verè enim, etiam in dicto casu, potest de illo replicato, ac de duobus discurri; dubitari tamen posset: an esset futurus completè beatus, siquidem replicatus, esset, in summa miseria.

INSTABIS primò, cum aliquibus apud Amic. Ut actus meritorius constituat hominem iustum, & demeritorius iniustum, sufficit moralis præsentia actus. Ergo quamvis in uno loco actum peccandi non eliciat, moraliter tamen imputabitur illi.

RESPONDETUR. Quod moralis imputatio actus, etiam transacto actu, duret, sed fundatur semper, in antecessoria physica ejusdem productione, non implicat autem, ut in alio loco physice non producat actum peccaminosum, consequenter moraliter illi non imputabitur.

INSTABIS secundò. Peccatum in capite sufficit ad inquinandos posteros: Ergo multo magis sufficiet, identitas realis, in replicato.

RESPONDETUR. Negando consequentiam,

quia constat de pacto divino, pro antecedenti, nec ad illud peccatum potuissent illi physice concurrere, vel non concurrere, hinc jam spectari debuit ratio peccati, merè in capite, quia autem pro consequenti, nulla est revelatio, estque replicatus, capax, ut dum in uno loco Physice peccat, in alio loco Physice non peccet, sit ut peccatum in uno loco factum, non possit eidem in alio loco imputari.

INSTAT tertio Dica. disp. 5. de Euchar. num. 222. Non potest homo in uno loco amare, in alio odisse: ergo nec peccare in uno, in alio mereri. Antecedens probatur, quia huiusmodi actus, non solum pendent à potentia, ut à subiecto recipiente, sed ut à principio efficiente; non habet autem potentia vim efficiendi simul duos actus contrarios, quia huiusmodi actus, sese omnino destruunt ex parte objecti, unus enim destruit objectum alterius.

RESPONDETUR. Neg. Antecedens. Negatur item, quod potentia præcipue replicata, non habeat vim efficiendi, sicut motum & quietem, ita actum amandi & odiendi. Negatur ulterius, hos actus destruere sese, ex parte objecti, nam licet non possit idem objectum esse bonum & malum, nam de eodem, & ratione ejusdem, verificaretur, est, & non est, sed duobus illis actibus positus, non de eodem, sed de diversis entitate actibus, verificaretur, est & non est, amat & odit.

Objicit secundò Amic. Licet cognitio & appetitio, non fiat in utroque loco Physice & informativè, est tamen in utroque loco objective & intentionaliter, saltem respectu animæ intelligentis & appetentis, quod sufficit, ut anima in uno loco informata uno actu, non possit in alio oppositum elicere, nam tota repugnantia, quæ est inter hos actus, est penes objectum, quia unum destruit objectum formale aliud, nempe veritatem falsitatem, & è contra. Assumptum probat. Eadem anima, quæ cognoscit objectum, per potentiam imaginativam, in una tantum parte corporis, in qua potentia illa residet, simul appetit per appetitum sensitivum, in alia parte corporis residentem, at non posset anima appetere objectum, in alia parte corporis, in qua non informatur actu imaginationis, nisi in ea parte corporis tale objectum cognosceret, cum nequeat in incognitum ferri. Ergo potest cognoscere objectum, etiam ubi actu cognitionis non informatur. Nec impedit, quod anima sit in uno loco, replicata autem in duobus, v.g. quia hæc discontinuatio non est entitativa, sed localis.

RESPONDETUR in forma negando majorem, probatio illius non evincit: nam multi Recentiores censent, etiam appetitum residere in cerebro, vel si non residet in cerebro, transmittitur aliquid simile speciebus visibilibus, ad appetitum in corde residentem, vel si neque sit

ulla transmissio, referendum id erit, in naturalem Sympathiam, & si est impedibilis, vel illa transmissio, vel sympathia à Deo, cur etiam divinitus non potest fieri, ut impediatur volitio objecti, ne sit etiam in alio loco, accedente præcipue replicatione, quæ licet non adferat discontinuationem entitativam, adfert nihilominus replicationem entitatis, quæ sufficiens est, in ordine ad talia, ut replicatus habeat se, ac se habent duo entia.

INSTAT idem. Ergo etiam posset Angelus existens in una parte sphaeræ suæ locabilitatis, ignorare, quæ noscit in alia parte.

RESPONDETUR. Negando Sequel. quia Angelus existens in tota sphaera, non est in illa replicatus: Si non est replicatus, non possumus illi, æquivalentiam ad plura distincta, realiter tribuere, adeoque neque quod cogitet, tanquam duo v.g. distincti realiter Angeli.

OBJICIT tertio idem. Non potest Anima in uno loco mereri, in alio demereri. Quia gratia & peccatum non solum sunt causæ Physicæ, sed etiam morales, hinc censentur permanere, etiam transactæ. Cur ergo eadem moralitas, transfundi non poterit, etiam si in uno loco peccet, ut in utroque perdat gratiam.

RESPONDETUR. Quamvis peccata & gratia, sint causæ etiam morales, semper tamen antecedenter exigunt Physicum esse, seu exercitium actus. Unde etiam peccatum durat habituale, quia præcessit actuale, cum ergo in utroque loco, ut consentit ipse Amicus, actus elicitus non sit, ne contra Trid. prius deserat nos Deus, per gratiæ ablationem, quam nos illum deseramus positione peccati, sit ut ubi peccatum non elicitur, illic non auferatur gratia.

INSTARI potest ex eodem. Demus replicari solam humanitatem Christi, illa humanitas peccare non posset, & si peccaret, constitueret humanitatem, prout unitam verbo peccatricem, dicereturque Deus peccator, quod est absurdum.

RESPONDETUR imprimis. Spectando robur ipsius argumenti, quod dato peccato illius humanitatis replicatæ, non peccaret adhuc humanitas, qua unita verbo, consequenter nec peccaret Deus, quia supponitur non esse replicata unio substantialis hypostatica, fundans communicationem idiomatum, & sicut illa opera, quæ ita replicata faceret, non dignificarentur Personæ Verbi, utpote illi sic replicatæ non unita, ita nec peccatum illud refunderetur in Verbum, cum sit penes Verbum debitum regendi humanitatem, ex suppositione nonnisi unionis.

RESPONDETUR secundo. Replicatæ etiam solâ humanitate, non posse illam adhuc peccare, id autem ex duplici capite colligi potest imprimis: quia connaturaliter, nulla natura ope-

ratur, nisi terminatâ supposititalitate, & quia illa humanitas replicata, ex vi principiorum Amici, non haberet adhuc personalitatem creatam, sit ut peccare non possit, & licet quidem miraculose possit elicere natura actiones etiam spoliata personalitate, non possit tamen elicere actiones peccaminosas, quia actionum, quas illa natura spoliata personalitate eliceret, specialis auctor esset Deus, qui tamen actionum peccaminosarum non potest specialis esse auctor. Aliud etiam principium adferri potest, cur non possit replicata humanitas peccare, quia Verbo, quod est essentialiter sanctitas, tribuenda est omnis possibilis, seu maxima sanctitas, major autem foret sanctitas, si id quod est sua humanitas, nullibi peccare possit, ratione unionis substantialis ad se, saltem in uno loco retentæ, tale autem nullum principium reperitur in Petro replicato.

OBJICIT tertio Arriaga, & cum illo recentiores. Petrus in uno loco positus, vel si in eodem loco multiplicem Ubicationem haberet, non posset in eodem loco amare & odisse. Ergo nec in diverso.

RESPONDETUR. Si non supponatur in uno eodemque loco reproductus Petrus, non poterit illos actus diversos, saltem naturaliter habere, nam illud posse habere, infundatur æquivalentiæ, ad duo distincta realiter, quæ independentè à reproductione non habetur; consequenter nec fundamentum compatiendi illos actus.

INSTABIS. Si posset Petrus in uno loco amare, in alio odisse, in uno peccare, in alio non peccare, dabitur distinctio virtualis in creatis, in ordine ad prædicata primò intentionalia, consequenter & Mysterium Trinitatis, ut ex alibi dictis scitur.

RESPONDETUR retorquendo argumentum. Esse in uno loco tantum, non esse in uno loco tantum, sunt prædicata physica, & tamen competentia replicatæ uni eidemque entitati. Neque valet, si recurras ad duplicem ubitatis modalitatem, quia multi eam ex oppositis negant, & quia de illa redit quæstio, quomodo entia possit tribuere, tam distinctum Physicè prædicatum, si illud non est in se illorum capax. Datâ autem æquivalentiâ prædictâ, nondum sequitur Mysterium Trinitatis in creatis, quia quando communicatur indistincta à Paternitate, v.g. natura, non communicatur reproducta, nec ullo modo replicatur, immò nec replicari potest.

Continuatur Solutio.

OBJICIT quarto Maurus Qu. 28. Principium proprium, ex quo per sensum venimus in cognitionem certam de distinctione inter homogenea sensibilia, non potest falsificari per ullam poten-

potentiam, sed principium proprium, ex quo venimus in cognitionem certam distinctionis inter res homogeneas sensibiles, est quod habeant diversas ubicationes circumscriptivas, v. g. ego videns albedinem A. existentem in uno loco, & albedinem B. existentem in alio, statim cognosco illas esse duas, & non unam albedinem: Ergo nec per divinam quidem potentiam falsificari potest hoc principium.

RESPONDETUR. Hoc argumentum multum probat, quia probat ne divinitus quidem posse separari accidentia panis à pane, quia principium ex quo per sensum venimus in cognitionem certam de substantia panis, non potest per ullam potentiam falsificari, hoc autem principium, est, hæc albedo, hic sapor, hic color, hæc combinatio accidentium. Rursus omnes admittunt, principiis quidem Metaphysicis, ne divinitus quidem oppositum fieri potest, secus principiis Physicis, unde est principium Physicum: agens necessarium applicatum suo passo agit, & tamen ejus actio miraculose impediri potest; ignis calefacit, & tamen divinitus frigefacere potest, & sic ulterius. Denique dici potest, quod principium proprium secundum quod ipsum principium veritatem in se continet, falsificari non possit. Porro principium hoc: unum corpus nunquam est in pluribus locis circumscriptivè, continet veritatem cum restrictione: viribus scilicet naturæ, & secundum suam exigentiam, nullumque tale corpus dari potest, secundum cursum naturæ, sed id non præjudicat dispositioni omnipotentis, & sicut quamvis una debeat præsentia definitivè, estque hoc principium certum Physicè, tamen hoc non obstante, potest idem habere divinitus plures præsentias definitivas, ita & in præsentia.

INSTAT primò idem. Possumus dubitare, an omnes palmi albedinis non sint unus palmus replicatus.

RESPONDETUR. Quamvis angeli videant, rem spiritualementem unam occupare posse plura definitiva spatia, cur tamen non dubitant, quod tantum sit res una & non plura individua spiritualia? cur item videndo accidentia panis sine substantia, non dubitamus esse etiam accidentia parietis sine pariete, & panis profani nullam esse substantiam, sed sola accidentia: sicut ergo in istis recurrimus, hæc non esse affingenda, nisi ratio, experientia, fides urgeat, ita & in præsentia.

INSTAT secundò idem. Principia, quibus intellectus assentitur ex terminis, & non propter experientias sensibiles, falsificari non possunt, v. g. omne totum est majus sua parte, sed quod quæ sunt in pluribus locis circumscriptivè, sint plura, notum est ex puris terminis, cum profecto nemo possit per ullam experientiam deprehendere, quod totum frumentum mundi, non sit unicum granum replicatum, ergo licet non

sit æquè evidens hoc principium ac alia, est tamen æquè infalsificabile; nam etiam principia non omninò evidenter sed probabilia, possunt esse omninò infalsificabilia.

RESPONDETUR, in primis licet nemo possit per experientiam ullam deprehendere, quod non sit substantia panis sub quocunque pane, non licet inferre quod non dentur accidentia panis sine substantia panis; ita nec ex eo, quia nemo per ullam experientiam potest deprehendere, quod totum frumentum mundi, non sit unicum granum replicatum, inferri non potest quod unicum granum, divinitus replicari non possit. Rursus aliud est; hæc quæ sunt in pluribus locis circumscriptivè, sunt plura, & aliud; quod est in pluribus locis circumscriptivè, est plura: primum illud est verum, ly enim, quæ pluralitatem entitativam importat: secundum est falsum & non probatum. Hinc directè negatur minor. Concedo, quod per experientiam nemo deprehendere possit, quod frumentum totius mundi non sit granum unum replicatum, sed nego quod id per rationem præactam deprehendere non possit, neque enim ex eo quod aliquid non implicet fieri à Deo, circa aliquid, inferri debet factum jam esse. Negatur item, quod principia probabilia æquè sunt infalsificabilia ac Metaphysica, nisi fortè sumantur secundum quod veritatem in se continent. Et ita hoc principium, si mater est diligit filium, quia continet veritatem de ut plurimum, non potest moraliter falsificari, sed absolute loquendo falsificari potest, quomodo autem contineat veritatem principium de loco circumscriptivè occupato, supra dictum. Hinc negatur hæc propositio, principia non æquè evidenter, sunt æquè infalsificabilia.

INSTAT potest tertio. Illud principium; omne totum est majus sua parte, falsificari non potest; ergo neque hoc principium; Quod est in pluribus locis circumscriptivè, est plura.

RESPONDETUR, negat: Consequenter. Quia illius primi implicantia est, & conceditur ab utraque parte; sed nego talem implicantiam posse dari in casu secundo. Unde in Logicis dictum; certò moraliter, posse oppositum contingere, physice loquendo, consequenter potest esse vera v. g. mater, & non diligere filium; certò item physice potest contingere oppositum absolute loquendo v. g. ut ignis frigefaciat, sed certò metaphysice ne divinitus quidem oppositum fit: Certum autem Metaphysicum deprehenditur inter alia ex ipso implicat, implicat autem ne totum sit majus sua parte, non implicat verò, ut unum sit in pluribus locis circumscriptivè.

Obijciunt quintò idem. Pars non potest esse æqualis toti ne divinitus quidem; sed si posset corpus replicari circumscriptivè, pars posset esse æqualis toti, nam ubicatio circumscriptiva mensurat rem ubicatam, eò quod palmus ubicationis

cor-

correspondeat palmorei ubicatæ, digitus digito. Ergo tanta est res ubicata, quanta est ubicatio ipsius, sed posset ubicatio medietatis esse æqualis ubicationi totius, si medietas replicaretur per aliam ubicationem æqualem, ergo medietas posset esse æqualis toti.

RESPONDETUR. Alia est hæc propositio; non potest esse æqualis toti, & alia, pars non potest occupare locum tantum, quantum aliàs occupabat totum. Primum illud est verum, secundum est falsum, ut ostendit etiam experientia rarefactionis, ubi pars rarefacta, totum locum occupare potest, quem occupabat totum densatum: hoc autem secundum contingeret posita replicatione. Ubicatio autem circumscriptiva mensurat rem ubicatam hoc sensu, quod quanta est ubicatio, tantum etiam spatium occupat ubicatum, ut scilicet si ubicatio sit tripalmaris, ubicatum etiam sit extensum ad tres palmos, sed non mensurat rem ubicatam, secundum rationem ipsam entitatis suæ, ad quam attenditur in dicto principio, & non ad occupationem spatii.

INSTAT. Quæ sibi congruunt sunt sibi æqualia, sed medietas replicata congrueret toti, ergo esset æqualis toti.

RESPONDETUR. Quæ sibi congruunt in eo, in quo congruunt, sunt sibi æqualia, non tamen in quo non congruunt, non autem congruunt sibi medietas replicata quoad entitatem cum toto, nec congruunt replicata pars, cum non replicato toto, sed cum replicato toto; quod replicatum, majus spatium natum est occupare, si æque replicetur ut pars v. g. si pars bis replicetur, & totum bis, semper majus spatium, occupabit totum.

DIFFICULTAS III.

De Actione replicativa.

PRÆMITTO primò. *Duplicem actionem cogitari posse, per quam aliquid replicetur.* Prima, quæ appellatur actio adductiva: Altera, quæ appellatur productiva: per actionem adductivam, intelligitur productio solius ubi, sine ulla actione, quæ sit terminata, ad ipsam rei entitatem, & secundam illius, in suo esse, productionem. Quæritur ergo, per qualem actionem fiat replicatio.

PRÆMITTO secundò. *Quamvis in hac questione, respiciendum sit ad præsentiam localem, quæ habeatur in hoc universo, sed & universalis, id decidendum est, quia etiam extra cælos, possunt entia replicari. Cur non enim?*

PRÆMITTO tertio. *Aliquos Theologos, ut videre est apud Lug. Disp. 7. Sect. 2. & sequentibus; censere, ad salvandam substantialem conversionem, quæ sit in Eucharistia, necessariam esse reproductionem corporis Christi, inter quos est Coninck ibi*

dem citatus, sed aliqui, non censent quidem, hoc esse necessarium, ad salvandam substantialem conversionem, quod expresse docet Amic. disp. 18. de Euchar. Sect. 1. n. 28. ad salvandam tamen substantialem præsentiam, seu substantialem replicationem, necessariam esse actionem productivam, ut videre apud eundem est sect. 4.

DICENDUM est primò. *Replicationem non fieri, per actionem solam adductivam.* Ita Amic. Coninck, & alii contra Lug. citat.

PROBAT primò Amicus. Sola actio adductiva, & collocatio ubi distincti, de se sufficiens non est, ad substantialiter replicandum subjectum, in loco distincto. Quod ipsum probat; Quia nulla forma potest conferre subjecto effectum formalem, quem non habet: At ubi non continet substantialem replicationem subjecti, quia ubi, est tantum modus, à subjecti entitate distinctus, uniens subjectum cum loco: Ergo non continet substantialem subjecti replicationem, quia nulla forma potest conferre, nisi quod habet in se. Ergo si ubi non habet in se. Ergo si ubi non habet in se, non poterit subjecto dare substantialem replicationem, quæ præter unionem subjecti cum loco, includit ipsam entitatem subjecti.

RESPONDERI posset Negando, esse de ratione replicationis, ponere replicationem substantialem subjecti, esseque argumentum, quasi de subjecto non supponente. Sufficitque uniter se habentis substantiæ, quod entitatem positionis duplici loco, sicut anima habet ubi, & in pede, & in capite, sine ulla replicatione substantiæ, habendoque esse uniter, ita & in præsentia.

INSTAT primò idem. Primò natura intelligitur subjectum, per suam entitatem, indistans à loco, quam per ubi uniat, formaliter loco. Ergo per ubi, non habet formaliter, ut fiat entitativè indistans à loco. Ergo hoc debet habere ab actione reproductiva. Probatur Antecedens. Quia entitas præsupponitur ad ubi, à quo ubi, tantum formaliter habet, ut uniat positivè cum loco. Quod ipsum probatur: Quia nullum ubi, dat formaliter subjecto, ut fiat entitativè indistans à loco, cum quo illud unit, sed supponit illud, vel per motum localem, vel per creationem, ibi positum, esseque indistans.

RESPONDERI potest in Modalium principiis, negando, prius naturâ subjectum esse indistans, dicentque creationem, vel motum localem, hoc solum facere, ut acquiratur hoc potius ubi, quam aliud, ita tamen, ut ante illud, non detur indistans.

INSTAT secundò idem. Unio substantialis, non aufert subjecto, nisi esse uniti, supponitque illud jam aliunde habere esse, & si ponatur unio, quæ uniebat albedinem cum hoc subjecto, unire eandem cum alio subjecto, non poterit, nec dare

dare esse alibi: Ergo nec novum ubi id facere poterit.

RESPONDETUR imprimis. Eadem unio, non potest cum alio subiecto, eandem albedinem unire, quia est essentialis determinatio, tenens se etiam à parte huius subiecti. Consequenter non poterit facere, ut in alio loco sit, jam autem ubi replicativum, de natura sua, habet rem replicare, non quidem per reproductionem entitatis, in quo convenit cum unione, sed per replicationem, ratione plurificari. Ubi, in eadem uniter posita natura. Deinde, cum non sit de ratione unionis, ponere in loco, fit ut illa unio, non habeat vim replicandi, jam autem est de ratione ubi, ponere in loco, hinc ubi replicatum, bene poterit ponere in loco duplici.

PROBARI potest secundò Conclusio. In replicatione, vel est substantialiter præfens Petrus, vel non est substantialiter præfens: si non est substantialiter præfens. Ergo neque illuc est replicatus Petrus; Petrus enim importat solam substantiam. Quod si in replicatione est substantialiter præfens Petrus. Ergo debet replicari illius substantia.

RESPONDERI potest. In replicatione, esse substantialiter præfentem Petrum, replicarique illius substantiam, sed replicatione adductivâ, hoc est contributivâ novi ubi, non replicatione productivâ pluries ejusdem entitatis, & hoc modo non nisi rem replicari sufficit, & non implicat.

INSTABIS. Impossibile est replicari Paternitatem, & non replicari ipsum esse Patris. Ergo etiam impossibile est replicari ubi, & non replicari entitatem.

RESPONDETUR. Etiam hinc replicari entitatem actione adductivâ, non reproductivâ, præcipuè, cum ipsa paternitas, per multos modalium, sit indistincta modaliter, secus per multos eorum, ubi, quamvis autem ipsum ubi esset indistinctum, saltem non demonstratur distinguibile non esse, Consequenter in hac suppositione, replicari poterit. Deinde non potest replicari paternitas, nisi ipsum esse Patris replicetur, quia ipsa paternitas, est nata formalis rationem Patris; jam autem ipsum ubi, non est natum formalis substantiam rei, cui competit ubi; hinc replicato ipso ubi, & de novo producto, non erit necesse produci, ipsam substantiam rei. *Hinc aliter*

PROBATUR tertio. Tum quia, vel habet replicatum Corpus, negativam suam præfentiam, præter præfentiam positivam, ab illo ubi replicante desumibilem, vel non habet: Si habet, replicari per actionem reproductivam debuit: si non habet: Ergo nec habet illuc suam substantiam, cum per modales, illa negativa præfentia, sit indistincta à substantia locari. Tum quia, si non poneretur ubi distinctum productum, non haberetur ubi replicatum. Er-

go etiam si non ponatur reproducta entitas, non erit illic substantialiter replicatè præfens: Tum quia, si in eodem loco poneretur duplex ubi, quod scilicet successivè aliàs esset acquirendum, non faceret in eodem loco, nisi uniter illam substantiam esse. Ergo etiam si supponatur duplex distinctorum locorum ubi, non facit illam substantiam, nisi uniter esse. Unde ergo rogo, quoad substantiam erit, in utroque loco? Tum quia, si Petrus Romæ existens, ponatur etiam Parisiis, deturque scientia intuitiva ejusdem, alicui, non nisi prout existit Parisiis, vel videbit illic esse non solum ubi illius, sed & substantiam illius: Si solum ubi: Ergo dabitur modus, sine modificato. Ergo illic non est Petrus: Si videbit etiam substantiam illius, si illa non nisi quoad sum esse uniter est, quomodo etiam videbitur Parisiis? debet enim illa substantia, prout distincta, ab ubi, uniter esse, quia nullo modo, ut ita dicam, plurificatur. Tum quia, talis replicatio, secundum substantiam, utrobique reperibilem spectata, difficilius esset præ præfentia immanitatis divinæ, nam quod una res non replicata ubique, tamen tota existens occupet spatium divisibile, habetur ejus exemplum, vel in ipsa anima rationali, sed ut una res in se non multiplicata, & tamen occupet disticta spatia, id longè est difficilius.

Universalis tamen, & independenter à sententia modalium, sic arguitur pro Conclusionem. Impossibile est, transire à contradictorio ad contradictorium, sine sufficienti mutatione. Ergo & à non esse præfentis per substantiam, ad esse præfentis per substantiam. Sed nisi ponatur productio iterata ipsiusmet substantiæ, non dabitur ulla sufficiens mutatio ad transitum, ad esse præfentis per substantiam. Si enim esset aliqua mutatio, esset ipsummet ubi. Sed hæc mutatio, non est sufficiens. Tum quia non datur ullum superadditum ubi. Tum quia quamvis daretur superadditum ubi, illud ubi ipsamet substantiam, quoad esse substantiale, & faceret esse non uniter substantialiter, & non faceret esse non uniter: faceret quidem esse non uniter substantialiter, quia aliàs corpus non esset substantialiter in duobus locis; non faceret autem esse non uniter substantialiter, quia tua positio est substantiale illud esse, uniter se habere, quoad substantiam, & replicari non nisi secundum ubi, & si ubi illud faceret esse substantiam, non uniter substantialiter, hoc ipso reproductionem adferet substantiæ, quia esse uniter substantialiter, importat uniter positum ipsum esse substantiale. Ergo & esse non uniter, sed pluriter substantialiter, importat pluriter positum esse substantiale. Sicut enim uniter identificatur uni, non pluribus substantiis, ita esse pluriter substantialiter, identificari debet pluriter posito, ipsi esse substantialis.

DICENDUM est secundò. *Postiâ actione reproductivâ, non est necesse, superaddi ullum ubi.*

PRO-

PROBATUR primò. Quia hujus superadditionis, nullaneccessitas.

PROBATUR secundò. Quia positâ productione uniter substantiæ, non est necesse addere illi. Ubi quodpiam distinctum, ut supra probatum est: Ergo etiam positâ productione pluriter ejusdem substantiæ, non est necesse addere illi Ubi distinctum.

PROBATUR tertio. Ipsum Ubi, si pluriter ponatur, sufficiens est sibi, ut sit in pluribus locis, vel bis in eodem: Ergo etiam ipsa substantia pluriter posita, in circumstantia indistantiæ, erit sibi sufficiens, ut sit in pluribus locis: Sicut enim tu dices ipsum Ubi, esse sibi rationem formalem indistantiæ ita pluries substantialiter posita substantiæ, in circumstantia indistantiæ, est sibi ratio formalis præsentia.

DICENDUM est tertio. *Implicare ut salvetur replicatio, sine reproductione ejusdem entitatis.*

PROBATUR primò. Quia impossibile salvare transitum, à contradictorio ad contradictorium, sine sufficienti mutatione, quæ non potest ostendi in replicatione, nisi ponatur reproductio, quia si esset aliqua mutatio, esset à duobus locis indistantia, de hac ipsa quæritur, quomodo haberi possit, ita ut utrique loco, substantialiter conjungat locatum, si ipsum locatum in se uniter est.

PROBATUR secundò. Quia si daretur prædictus modus replicationis, vel esset uniter, non nisi substantialiter illa substantia replicata, vel esset pluriter: Si esset uniter, Ergo non esset in utroque loco, quoad substantiam; Si pluriter quoad substantiam, quomodo id habere potest, sine plurificatione ut ita dicam substantiæ, Verbisque in præsentia discrepant, pluriter esse quoad substantiam, & plurificari quoad substantiam.

PROBATUR tertio. Quia esse indistans, est concretum, ex locabili & ex indistantia. Jam autem, si non esset duplex indistantia, non posset esse aliquid in duplici loco. Ergo etiam si non sit pluriter substantia, non potest esse in pluribus locis substantialiter, quomodo autem est pluriter substantialiter, sine plurificatione substantiæ? Et certè, ut sit substantia uniter in loco, non sufficit sola indistantia formalis, sed requiritur ipsum esse v.g. substantiæ, quod debet necessariò supponi productum uniter. Ergo etiam ut sit substantia pluriter in loco, non sufficit sola indistantiæ formalitas, sed requiritur pluriter ipsum esse substantiæ, quod non potest esse, sine reproductione.

Solvuntur Objectiones.

OBJECITUR primò. Nulla est necessitas multiplicandi has productiones, sufficitque hoc fieri per Ubi distinctum.

RESPONDETUR.. Major est multiplicatio En-

tium per Oppositos, quàm per Nos. Major enim est multiplicatio, si dicantur nova Entia produci, quàm si dicatur, unum idemque reproduci. Nam ex priori productione, sequitur poni plura entia, ex reproductione autem sequitur poni, non nisi unum Ens, licet pluriter. Deinde adest etiam necessitas, quia Vtrobique non potest intelligi substantialiter præsens locale.

OBJECITUR secundò Lug. Angelus, qui erat in hoc palmo spatii, sine ulla replicatione, retento illo palmo, potest se extendere, ad alios duos palmos, sed solum per productionem novæ præsentia. Ergo etiam eodem modo, poterit à Deo poni in spatio distanti, non positâ novâ productione, sed positâ solâ novâ præsentia.

RESPONDETUR. Missis aliorum responsionibus, imprimis quod argumentum hoc, procedat à minori ad majus, viâ affirmationis; ad eum modum, quo si quis probaret: posse animam informare partes materiæ non aggeneratas, quia potest aggeneratas, argueret enim à minori ad majus viâ affirmationis ita & in præsentia, difficilius enim est, esse in pluribus locis adæquatis, hinc non potest per idem salvari illa præsentia entis replicati, per quod salvatur aliàs præsentia prædicta Angeli. Disparitas etiam in hoc est, quia Angelus, ut possit se intra suam spheram extendere, habet principium in seipso, hoc est actum suæ voluntatis, & virtutalem suam localitatem; non est autem principium, quod salvet esse aliquod ens in duplici loco, sibi adæquato, habendo præsentiam suam non solum localiter, sed etiam quoad suum substantiale esse, nisi ponatur reproductio illius pluriter positæ substantiæ. Ea autem quæ aliàs de Angelis urgentur, & ex supra dictis, & ex Materia de Angelis solvi debent.

OBJECITUR tertio. Si ponatur quod in uno loco possit corpori replicato, convenire unum prædicatum, non convenire in alio, licet illa ceteroqui impossibilia inter se naturaliter sint, evertetur principium assumptum à Trident. quia evertetur principium, de concomitantia, vi cuius replicato corpore, censet Trident. per concomitantiam sequi sanguinem.

RESPONDETUR imprimis. Quærendo ex oppositis, cum concedant posse in uno loco convenire uni, quod non convenit alteri, modò prædicata non sint impossibilia, quomodo per illos non evertatur principium de concomitantia, cum in utroque casu auferatur concomitantia. Porro concomitantia à Trident: requisita est circa ea prædicata, quæ rei ante replicationem, & novi replicationis conveniunt, sed ratione unionis, de cuius principii veritate, nihil, nostrâ Conclusionem diminuit.

INSTABIS. Effectus qui jam productus est, exigit à Divina virtute ne reproducatur.

RE-

RESPONDETUR. Effectus quamvis prodierit à Divina virtute, hoc est, illo operante, habeatque statum existentiae, continetur tamen virtualiter in omnipotentia, nec enim per hoc, quia effectum Deus produxit, privavit se sua omnipotentia, quæ omnia possibilia continet.

DIFFICULTAS IV.

An in eodem loco possint plura corpora poni?

SUPPONIMUS non posse id fieri naturaliter, ipsa experientia id ostendente, etiam consensu quantitati tribuente impenetrationem, quæ tamen quantitas corpora sequitur, restat quærere, an id possit fieri Divinitus.

DICENDUM est. *In eodem loco, posse divinitus esse duo corpora*, quod autem dicitur de duobus, idem de pluribus sentiendum est.

PROBATUR primò. Quia hoc non implicat contradictionem, ut constabit ex solutione argumentorum.

PROBATUR secundò. Quia de facto contigit ea penetratio, ut cum clausis januis intravit Christus, & cum corpusculum ejus sanctissimum enixa est Beatissima.

RESPONDEBIS. Transisse corpus Christi non pertransito medio.

CONTRA. Posito quod corpus ita possit transire, non accipientur verba Scripturæ ut sonant, quomodo enim propriè dicitur; quod transeat clausis januis, si per mediam januam non transeat, jam enim quod sint clausæ vel non clausæ fores, nihil pertinere ad illum motum, impertinensque esset illius clausuræ circumstantia.

PROBATUR tertio. Quia, quod in eodem loco corpora se non compatiuntur, facit vel illorum quantitas, vel ut alii volunt impulsus, quæ omnes causæ divinitus impeditibiles sunt.

OBJICIUNTUR primò paritates aliquæ.

PRIMA paritas. Partes temporis, quæ sunt esse simul tempore. Ergo nec partes quantitatis permanentis.

RESPONDETUR. Si simul essent partes quantitatis successivæ, hoc ipso non essent prius & posterius, quod tamen requirit definitio temporis. Unde sicut prius & posterius non potest esse simul, ita nec partes temporis, nihil autem simile deponit definitio quantitatis permanentis.

SECUNDA paritas. Non potest idem esse æquale duobus quantis, si sit æquale uni. Ergo nec in duobus locis, cum unus sit æqualis locato.

RESPONDETUR. Si sit replicatum quantum, non uni tantum, sed & duobus, poterit

esse æquale, accessu scilicet æquivalentis multiplicationis; consequenter eodem titulo poterit esse locatum æquale duobus locis. Sed quia hic non attenditur ad replicationem, quantum ad præsens, aliter solvitur hoc argumentum, quod scilicet non possit esse idem æquale duobus quantis, in quantum ex illis confurgit tertium quantum majus singulis distributive acceptis, secus si non confurgat majus, illis, cum autem in uno loco positus duobus corporibus non sit majus, hinc utrique illorum potest esse æqualis locus.

OBJICITUR secundò. Si possibile esset in eodem loco, poni duo corpora, sequeretur locum illum & esse à priori corpore occupatum, & non esse: esse ut supponitur, non esse autem, quia ab alio corpore impleri posset, & defacto per miraculum ut dicis impletur.

RESPONDETUR. Licet ab alio etiam corpore, ille locus impleatur, non sufficit ut non dicatur impleri ab illo corpore, quia impletur non per exclusionem alius corporis, sed per exclusionem negationis sui corporis, in illo loco. Simile quid contingit, si duæ totales formæ eandem materiam informant.

OBJICITUR tertio. Ponamus duo gravia penetrari illa & moverentur deorsum, ut supponitur, & non moverentur, quia tunc deberet fieri alia nova penetratio.

RESPONDETUR. Cum supponantur illa gravia penetrata, jam non erit necesse, ut se de novo penetrarent, non penetrabunt etiam locum, quia hic natus est cedere & ambire locatum. Unde tota difficultas, quare duo corpora non possunt esse in eodem loco, non est ex ratione loci, sed ex ratione corporis prius locati, impediens collocationem aliis secum corporis, qua ipsa repugnantia sublata, loco extrinseco, perinde erit penetratum, vel non penetratum ambire, duobusque cæteroqui æqualibus corporibus, idem jam sufficiet locus.

ADDO. Si duo corpora easdem haberent figuras & qualitates, discerni à seipsis non possent, si verò haberent plures colores diversos, fieret color ex duobus conflatis. Si autem illa corpora haberent duas qualitates contrarias, dicit Lugo, quod agerent mutuo contra se, penetratio enim non impedit, sed potius juvat actionem, quia majorem præsentiam intimiorumque illa principia contra agendi haberent.

DIFFICULTAS V.

*De divisione in locum realem & imaginarium
&c. &c. de Oppositis loci.*

DE divisione in locum realem nihil restat dicere, quod non sit tactum supra. De loco imaginario, aliqua perstringenda.

PRÆMITTO. *Quid sit spatium imaginarium.*

EXPLICANT primò aliqui, quòd nihil aliud sit quàm negatio veri corporis, aut veri spatii, quod verum spatium & verum corpus replere posset.

CONTRA est, quia illa negatio, esset negatio negationis, esset enim negatio repugnantia quominus in illo (si detur) existat corpus, jam autem ipsa repugnantia, est negatio. Deinde non attingit ullo modo hæc explicatio formalitatem imaginarii, meræ enim negationes, non sunt quid imaginarium.

EXPLICAT secundò Lug. disp. 5. de Eucharestia. Quòd nihil aliud in re sit, nisi quòd unum ubi fundet talem distantiam ab alio tali, ubi & ita quando dicimus; quod Petrus sit hic, nolumus significare aliquod spatium imaginarium, cur potius sit præsens, sed solum volumus significare Petrum tale ubi habere, per quod tantum vel tantum distat ab aliis præsentis.

CONTRA. Tum quia explicari hic debuit locus imaginarius, per ordinem ad quem formatur quæstio; an in illo sit, nec ne Deus, indubiè autem Ubi est, aliquod ubi, jam illic est Deus. Tum quia hæ ipsæ præsentia salvari solent per spatia imaginaria, non ergo ipsæ sunt spatium imaginarium. Tum quia sine ullo ubi vero, potest esse adhuc quæstio, de ubi imaginario.

EXPLICAT tertio recentior Suar: Spatium imaginarium non aliud esse, quàm spatium reale positivum, sub tali distantia, ad puncta fixa à tali præsentia occupabile. Dicitur autem imaginarium, quod illud imaginemur, quasi actu existens sub certa distantia ad puncta fixa.

CONTRA, hoc ipso, quia illud spatium imaginarium est, ergo non est spatium reale positivum, ex alia etiam parte spatium istud imaginarium, non est merè spatium non existens, ut vult recentior Suar. quærere ergo restabit quid sit?

COMMODIUS dicitur ex Vasq. Arriag. Ovied: Quòd spatium imaginarium nihil aliud sit, quàm spatium mente confictum, quod in re ipsa, nihil est.

RATIO communis est, quia hoc spatium concipitur tanquam existens ab æterno. Si existens ab æterno, cum non sit quid increatum, seu Deus, non etiam est quid creatum, quia nihil est creatum ab æterno. Ergo debet esse nihil. Notione hæc spatii imaginarii traditâ. *Sic:*

Punctum Difficultatis 1.

An Deus sit extra cælum.

DISCENDUM est: *Deum esse extra cælum in seipso.* Ita recentior Suar: cum pluribus quos citat.

PROBATUR primò auctoritate Sacra Scriptura & Patrum: Nam Scriptura expresse docet; Deum esse excelsiorem cælis, & quòd cæli illum capere non possint. Augustinus de Cognitione veræ vitæ c. 29. dicit de Deo; *Totus extra omnem locum.* Similia habet Damas. lib. 1. Fidei c. 17. Athan. Epist. 1. ad Serap. Greg. lib. 2. Moral. c. 8. & Richar. Victorinus lib. 7. de Trinit. c. 23. *Si essentialiter ubique est, ergo & ubi locus est, & ubi locus non est, erit itaque & intra omnem locum, erit & extra omnem locum.* Quæ omnia ut sonant accipi nihil vetat.

PROBATUR secundò. Nihil illud quod est extra cælum, ita se habet ac nihil mundi antequam mundus esset, sed quando erat nihil mundi, seu antequam mundus esset, Deus erat in seipso. Ergo extra cælum est in seipso, minor est certa apud Catholicos, sumiturque ex Phrafi August. in Psal. 122. & ex Tertull. Lib. Adversus Praxeam cap. 5. & Divo Bernar. lib. 5. de Considerat. quorum textus vide apud eundem Suar. Major probatur. Quia sicut nihil mundi hujus, ante hunc mundum, erat nihil, ita nihil mundorum possibile, & nihil rerum ponibile, verè est nihil, & sicut nihil mundi hujus, antecedeat æternitate, positivum mundi hujus, ita nihil possibile alius & alius mundi extra hunc, antecedit æternitate positionem illorum.

Hic ipse medius terminus, sic aliter proponitur.

Prius illo instanti quo Deus creavit primum, quid ex mundo hoc, vel verum erat dicere, est negatio Dei in seipso existentis, vel non erat negatio Dei in seipso existentis. Si erat negatio Dei in seipso existentis, ergo falsa sunt dicta Patrum dicentium, Deum ab æterno extitisse in seipso; quod si in illo priori, non fuit negatio Dei in seipso existentis, nec extra cælum erit negatio Dei, in seipso existentis. Deinde annihilat Deus mundum hunc, illo annihilato præter extrinsecam existentiam mundi nihil mutatur in Deo, si nihil mutatur, eodem se modo habet ut ante. Ergo quoad sua intrinseca, non desinit hic esse ubi desit mundus esse. Quòd si non desit quoad sua intrinseca illic esse, ubi mundus fuit, quoad sua intrinseca, etiam extra mundum erit. Denique, illic ubi potest creatura existere, potest existere Deus, tunc quæro vel incipit illic esse una cum creatura, vel non incipit, sed

sed supponitur esse; si supponatur esse, habetur intentum: si incipit, ergo quoad exercitium non est immensus, quod tamen concederetur illi, data existentia Deitatis in illam et ipsa, etiam extra cœlos, concedendumque est, si nihil oblit, nihil autem obstat.

CONFIRMATUR primò. Existentia Dei in seipso ex una parte non dependet ab ullis spatiis, & distantis, & locis existentibus actu, quod ipsum probatur. Tum quia non dicit ordinem ad aliquid à se distinctum, sed habet se per modum alicujus immanentis. Tum quia de facto ab æterno Deus extitit, & tamen ab æterno Deus erat in seipso ex mente Patrum, ergo esse in seipso, ab existenti spatio, non dependet, & ex altera parte eadem existentia Dei est necessaria, est enim ipsa ejus immensitas radicalis, ergo cum necessaria sit, etiam extra cœlos Deum ponet, extra quos ut in se sit spatio Physico non indiget. Et certè quæro, an hoc mundo ita circumscribatur Deitas, ut totum esse Dei concludatur, hoc mundo, non solum esse, ut ita dicam locale, sed etiam esse Dei, in se. Si non concluditur. Ergo est extra mundum in se; si concluditur. Ergo non ita se habet Deus respectu nihili mundorum possibilem, ac se habuit respectu nihili mundi præsentis, quia quando erat nihilum mundi præsentis, erat Deus in se per Patres. Porro nomine Dei extra cœlos in se existentis intelligitur divina immensitas, quam non est necesse, alicubi de novo poni, licet ut aliquid dicatur ab illa indistare, & ut dicatur esse formaliter in loco, necesse sit ponere locum aliquem, vel corpus aut ens aliquod quo sensu alias in simili dicta, accipienda. Ly autem ibi vel ubi accipitur hic non pro ubi vel ibi locali; sed quantum ly ubi vel ibi, est quid commune ad locum, & ad existendum in seipso, ad eum modum quo PP. quærentes, ubinam ante mundum conditum Deus fuerit, dicunt illum fuisse in seipso. Et jam tunc ubi, sumitur prout quid commune ad existendum in seipso.

CONFIRMATUR secundò. Quasi à definitione, Deum esse extra cœlos in seipso nihil aliud est, quàm Deum eam habere immensitatem, vi cuius ita se habet, ut nullibi verum sit, negationem Dei esse, ut verè nunquam quoad sua intrinseca locum acquirat, sed hoc debet concedi, quia alias quoad sua intrinseca mutaretur Deus. Ergo.

CONFIRMATUR tertio. Deum esse extra cœlos, in seipso non implicat, est item conforme Phrasi Patrum. Ergo hoc concedendum est.

PROBAT tertio recentior Suar: Quia Deus, per suam id habet immensitatem, ut essentialiter sit actu illic, ubi potest esse creatura, ut dictum etiam supra, sed potest esse creatura extra cœlos. Quod probat. Creet Deus no-

vum mundum contiguum empyreo, & super illum creet angelum, annihilat mundum intermedium, inter angelum & empyreum, & tamen creatura manebit extra empyreum; vel si te hæc imaginatio offendit, pone illum angelum creari sub superficie concava alius cœli.

OBJICITUR primò. Esse extra cœlum, est esse per aliquam habitudinem ad cœlum, hæc autem habitudo est habitudo distantie, distantia verò rebus non convenit, nisi ratione quantitatis, quâ Deus caret.

RESPONDETUR. Negari posse imprimis majorem; quia cum Deus erat in seipso ab æterno, non erat per habitudinem, ad hunc mundum, sic nec modò, si ponatur Deum extra cœlos existere, dicet habitudinem hanc. Deinde quamvis distantia rebus conveniat non nisi ratione quantitatis, hæc debet esse non in ubicato, sed ratione negationis quantitatis interceptibilis inter ubicatum & spatium, ubi supponitur ubicatum esse, quod etiam in præsentia de Deo verificabitur, inter quem & inter, extra cœlos, nulla est interceptibilis quantitas.

OBJICITUR secundò. In nihilo Deus esse non potest, extra cœlum nihil est.

RESPONDETUR in nihilo, per coexistentiam Deus esse non potest, quia coexistentia duorum existentiam importat; Nihil autem cum non existat, nec potest dici Deus illi coexistere. Caterum falsum est, quòd improprie in nihilo, proprie autem in seipso, existere non possit, etiam si illic nihil sit. Vel certè extra cœlum nihil est, non ita ut excludatur esse Dei etiam in seipso, sed ut excludatur omnis creati existentia.

OBJICITUR tertio. Si Deus esset extra cœlos, & esset extra illos ut supponitur, & non esset, quia nullibi esse, idem est ac non esse, Deus extra cœlum nullibi esset. Ergo extra cœlos non est.

RESPONDETUR. Nullibi esse cum exclusione solius loci physici & realis extrinsecique; Nego quòd idem sit ac non esse, nullibi tamen esse cum exclusionem tam loci extrinseci, quàm modi essendi in se; hoc demum erit nullibi esse.

OBJICITUR quarto. Deus non potest operari extra mundum, nisi ipsum ponat, seu nisi ipsum locum corporeum ponat. Ergo ex eo quòd Deus extra cœlos operari possit, non rectè colligitur, esse illic Deum.

RESPONDETUR. Negando antecedens. Jam enim ante positionem loci, potest illic ipsam positionem loci operari. Deinde, istud extra duplex est, quoddam locale, & sic Deus non est extra hunc mundum; aliud extra negativum, hoc est non intra hunc tantum mundum, & sic Deus est extra cœlos.

Punctum Difficultatis 2.

An Deus sit in spatiis imaginariis.

DICENDUM est. Si esse in spatiis imaginariis sit idem ac extra cælum, Deus est in spatiis imaginariis: si autem esse in spatiis imaginariis idem sit ac existere in spatiis, quæ nos intellectus fingit & imaginatur, in talibus spatiis non est nemine cogitante. Prima Pars probata supra. Secunda Pars

PROBATUR primò. Si Deus daretur in spatiis imaginariis quæ talibus, vel daretur actu nemine cogitante, vel non nisi nobis cogitantibus, Si nobis cogitantibus, ergo non datur, sed cogitatur dari; si autem datur in spatiis imaginariis actu nemine cogitante, contra erit; quia quod non est nemine cogitante, in eo non datur Deus nemine cogitante, quia hoc ipso illud ipsum jam esset nemine cogitante, quia cui convenit aliquid reale nemine cogitante, illud in quantum hoc prædicatum illi convenit, est nemine cogitante, præsentia autem actualis Dei est aliquid reale.

PROBATUR secundò. Si Deus esset in spatiis imaginariis quæ talibus, coexisterentne Deo spatia imaginaria quæ talia, vel non coexisterent? si coexisterent, idque ut supponitur nemine cogitante. Ergo & existerent nemine cogitante, quia, à coexistere, supponitur existere; Quòd si illa spatia non coexistunt Deo nemine cogitante, ergo nec Deus est in illis nemine cogitante, coexistere enim debet Deo, id in quo est Deus. Et certè si Deus esset in spatiis imaginariis quæ talibus, esset in nihilo rei, sed non potest esse nemine cogitante in nihilo rei, in nihilo enim esse, est non esse, sicut enim nihil esse, est non esse, ita in nihilo esse, est non esse, aut in nullo esse. Quòd si in nullo est, falsa erit particularis, in aliquo est. Ergo falsa ulterius erit particularis, in spatiis imaginariis est. Ratio horum omnium à priori est, quia non & nihil sunt particule sublativæ esse, hinc in nihilo esse, est non esse.

PROBATUR tertio ex Vsq. Deus non est in chimæra nemine cogitante. Ergo nec est in spatiis imaginariis nemine cogitante.

RESPONDET Hurtad: Disparitatem esse, quia chimæra non apprehenditur tanquam intercapedo quædam, apprehenditur autem ut intercapedo spatium imaginarium.

CONTRA. Intercapedo illa quæ apprehenditur non est nemine cogitante; sicut nec chimæra. Ergo utrobique non erit Deus.

OBJICITUR primò. Auctoritas Augustini. lib. II. Civit. cap. 5. ubi sentit: *Vaniloquium esse: Si dicas Dei substantiam à tantis extra mundum spatiis absentem esse.*

RESPON-

INSTABIS primò. Sufficit quod Deus sit ibi ubi operatur, non ante, sed solum tunc, cum operatur. Ergo extra cælos non est.

RESPONDETUR. Ex prædicato efficientis, sufficeret ut Deus sit non antè, sed tunc cum operatur illic ubi operatur, sed non sufficit ex prædicato immensitatis & immutabilitatis, quoad intrinseca.

INSTABIS secundò. Si Deus creet Angelum non in mundo, per hoc non debet dici, quod eum creet extra mundum, sed quod eum creet nullibi. Ergo nec Deus debet dici extra mundum existere.

RESPONDETUR. Negando antecedens, creabiturque illic Angelus nullibi loci extrinseci, sed non nullibi, ut excludat esse Angeli illic, ubi est.

INSTABIS tertio. Si Deus creet angelum extra hunc mundum, in spatio aliquo corporeo simul producto, & postea annihilat illud spatium non annihilato angelo & immoto relicto, tunc angelus esset extra cælos non nisi ampliativè, nec esset jam ubi erat prius, sed esset nullibi, jam enim illi auferretur ratio formalis essendi extra cælum, quia hæc petitur ab extremitate locali; & sicut sublata quantitate tollitur extremitas partium, sic sublato corpore tollitur extremitas localis.

RESPONSUM supra; Duplicem esse extremitatem positivam & negativam. Extremitas positiva tunc tollitur, hæc enim dependet à loco sicut extremitas partium à quantitate, sed extremitas negativa hoc est, quod non in cælo esset tunc angelus, verè non tollitur, quòd si non tollitur entitati illius angeli verè coexistit Deus, ita ut inter Deum & angelum nihil sit interceptibile: Si coexistit tunc angelo Deus. Ergo & antè jam illic erat, nam ut dicebam ubi potest esse immensitas Dei, jam illic est.

OBJICITUR quintò. Si Deus est extra cælum, ideo esset quia nisi antecederet illic esset, mutaretur, incipiendo illic esse, sed non mutaretur, quia Deus potest reddi præsens huic mundo, sine ulla sui mutatione.

RESPONDETUR. Redditur Deus præsens huic mundo, & redditur non præsens, si esset mundus sine ulla sui mutatione, quia ubi illud intrinsecum Dei, semper est immutabile, nec dependet ab extrinseco corpore, sed si illud ubi essendi, scilicet in seipso, non haberet Deus, illic, ubi ponitur mundus, verè inciperet esse etiam quoad sua intrinseca. Quando autem Aristot. negat 4. Physic. c. 4. aliquid posse esse in seipso, intelligendus est quòd nihil posset esse in seipso tanquam in loco extrinseco, fortè etiam hanc præsentiam Dei non poterat inferre, quia putabat mundum alium esse impossibilem, consequenter non putabat debere esse extra cælos in seipso Deum.

RESPONDET August. tantum vult DEUM esse extra Caelos, nihil autem ait de spatiis imaginariis.

OBJICITUR secundò. Tempus imaginarium non est aliquid plus quam spatium imaginarium. Sed DEUS verè existit in tempore imaginario. Ego verè etiam existit in spatio imaginario.

RESPONDETUR. Etiam in tempore imaginario quàm tali, non existere DEUM nemine cogitante, licet existat in tempore imaginario, materialiter accepto.

OBJICITUR tertio. Si DEUS non est in spatiis imaginariis, sequitur DEUM propriè moveri localiter; DEUS enim non est in spatiis imaginariis, sed solum in hoc mundo, moveat motu recto mundum versus spatia imaginaria, tunc de novo jam illic DEUS inciperet esse, ergo moveretur.

RESPONDETUR. DEUM non posse moveri ad spatia imaginaria, quàm talia, nisi imaginariè, extra Caelos etiam moveri localiter non potest, quia extra Caelos in seipso existit non potestque moveri ad seipsum, & si spatia imaginaria accipiantur materialiter, hoc est pro esse extra Caelos, sic est in illis.

OBJICITUR quartò. Quod est in aliquo non tanquam forma in materia, nec pars in toto, nec tanquam genus in specie, nec tanquam effectus in causa, nec tanquam invasum in vase, illud est verè in alio tanquam in loco. DEUS autem nullo ex prædictis modis, est in spatiis imaginariis. Ergo est in illic tanquam in loco.

RESPONDETUR. Negando Subjectum minoris; quia DEUS nullo modo est nemine cogitante in spatiis imaginariis. Consequenter dicitur Deum extra Caelos posse aliquid creare, idque nemine cogitante, sed non creare nemine cogitante in spatiis imaginariis, quàm talibus.

Addo diversas esse has propositiones, DEUS est extra Cælum, & DEUS est in eo, quod est extra Cælum: prima propositio est vera, & significat DEUM esse in seipso, secunda est falsa. Unde etiam per Patres vera fuit hæc propositio, DEUM fuisse in seipso ab æterno, & tamen falsa fuit fuisse in nihilo, cum tamen illud extra Caelos, sit omnino nihil.

OBJICITUR quinto. Si DEUS non esset in spatiis imaginariis, sequitur DEUM posse distare à seipso. Creet enim DEUS tres mundos sibi contiguos, tunc imprimis in lateribus interceptis non esset, quia inter latera supponimus nullum intercepti corpus actu, sed tantum interceptibile esse; Si autem inter latera non esset. Ergo inter se positum in uno mundo, & inter se positum in altero mundo mediarer aliquid, ubi Deus non esset. Imagine-mur rursum medium illum mundum annihilari,

non motis nec annihilatis extremis mundis, in quorum utroque extremo esset DEUS, & non esset in medio, medium enim est spatium imaginarium. Consequenter tunc DEUS distaret à seipso.

RESPONDETUR. Respectu illius medii esset DEUS in seipso, adeoque adhuc non distaret à seipso, spatium autem illud imaginarium, non est, nisi materialiter.

COLLIGES. Nec in vacuo, quàm tali DEUM esse, sed esse DEUM in seipso vacuo posito.

Punctum Difficultatis 3.

De Opposito loci quod est vacuum?

VERES primò. Quid est vacuum? Non accipitur hic vacuum pro otioso, vel pro corpore carente eo intra-posito, ad quod artificialiter vel naturaliter instituitur continentium, quo sensu putamen nucis est interdum vacuum supple nucleo.

Nec accipitur hic vacuum pro negatione corporis simpliciter, quia Phil. 1. Cæli textu 59. & 7. Cæli textu 27. expressè negat dari vacuum extra Caelos, quamvis illic sit negatio corporum: accipitur itaque vacuum privativè, prout hic de illo Philosophi, qui cum Aristotele 4. Physicorum textu 60. 65. 76. & 1. Cæli 89. definiunt vacuum. Est locus carens corpore.

Sed difficultas est, quomodo vacuum sit locus, si enim est locus. Ergo est superficies corporis continentis, si est superficies corporis continentis. Ergo est corpus & non privatio corporis.

Duplici id viâ explicari potest. Imprimis entia connotativa, si sint negationes, non raro assumere in recto illa positiva, super quæ fundatur illa negatio, & sic, quia tenebræ, seu negatio lucis fundatur in aëre, ideo in definitione tenebrarum ponitur aër, cum formali, carens luce, hocque toties evenire solet, quoties connotativa entia volumus describere, quid in re sint. Porro vacuum est etiam aliquid non esse, quod non esse, fundatur in esse corporis, cujus latera, ita sunt collocata, ut medium interceptum inter illa latera corpore non impleantur, adeoque formalisetur negatione corporis implentis. Aliâ viâ hoc idem explicatur, in definitione vacui ly locus assumitur, quia scilicet dupliciter spectari potest vacuum. Primò in quantum continetur & interceptitur à loco circumposito. Secundo accipi potest pro ipso continente & interceptiente vacuum.

Secundo hoc modo acceptum vacuum

† ii; est

est locus carens corpore, locus enim illam carentiam ambit. Primo autem modo acceptum Vacuum est carentia corporis, prout connotat locum.

Dicitur itaque vacuum locus ut distinguatur à negatione corporis, quæ est extra Cælos, estque id, quod quodammodo ambit illam negationem, dicitur carens corpore, accipiendo ly corpus pro quocunque indeterminato corpore. Caterum rigorosè loquendo hæc definitio, non est nisi speciei antinomasticon vacui, hoc est vacui materialis, de quo in præsentia agendum fuit Philosopho, nam expellatur aer totus ex cubiculo, succedant in locum ipsius Angeli, vel plures, vel unus sphaera suæ locabilitate, implens spatium, quo aer occupabat, ille locus carebit corpore, eritque vacuum materiale, licet non sit vacuum simpliciter.

QUÆRITUR II. *Potestne dari vacuum?* Respondet communis Philosophia, Naturaliter non posse dari, posse divinitus.

RATIO prima. *Quare vacuum naturaliter dari non possit.* Quia indigent influxu cœlesti sub-lunaria, qui impediretur vacuo.

RESPONDET Arriaga. Sufficit per latera participari hos influxus, nec est necesse optimum semper influxum haberi, sicut nec illum habent flores sub densò tecto collocati. Addit recentior Suarez. Quod eadem corpora, quæ tantà vi ducuntur ad impediendum vacuum, possint eadem vi attrahere corpora ad contiguitatem recuperandam, si ea tantum indigeant ad recipiendos influxus Cœlestes.

SECUNDA RATIO est ex Arriaga. Quia dato, vacuo daretur penetratio corporum, quò enim abiret expulsum corpus, cum mundus totus sit plenus, nisi penetrarentur corpora?

RESPONDET recentior Suarez. Cum infra empyreum rediit Christus, appariturus S. Paulo, non erat necesse fieri penetrationem corporum, quamvis mundus sit plenus, nec item datum est vacuum, cum Sanctus Paulus cum corpore (quod de se ille non negat, quamvis etiam non affirmet) translatus est in tertium Cœlum. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT, quia probabile est non realiter esse motum corpus Christi de Cœlo, sed id fecisse Angelos in corpore, hic & nunc fabricato, sicut in veteri Testamento apparebant in Persona DEI. Posito etiam quòd realiter ipse Christus apparuerit, facile est concedere factam penetrationem, donum enim penetrabilitatis, non otiosè datur corporibus glorificatio, immò probabile est non esse in potestate corporis beati, exercere vel non exercere donum penetrabilitatis, sicut non est in potestate beati reddere corpus suum carens claritate. De Sancto etiam Paulo nullum est fun-

damentum, fuisse illum cum corpore in Cœlo,positoque quòd fuerit, facile est dicere supplementum fuisse miraculosè hunc defectum vel rarefactionem factam. Dicit etiam Arriaga, quòd ad supplendum locum in mundo ejus materiæ, quam Christus in Cœlum secum tulit, produxerit aliquid Deus materiæ ne novo. Hæc ratio potest sustineri ut vides.

RATIO secunda, est quæ utitur recentior Suarez, quia scilicet vacuum est divisio quædam, & habet se per modum vulneris infligti huic magno mundi corpori.

RESPONDERI potest, nihil exinde convinci, quia per similitudinem declaratur res, non autem ratio adfertur. Rursus cum vulnus possit naturaliter fieri, poterit etiam naturaliter fieri vacuum. Denique dici potest; Si patitur natura divisionem, quæ fit aeris ambulatione, aliasque divisiones, cur etiam hanc non patietur?

Hoc tamen totum ulterius referri potest in virtutem à natura insitam corporibus attrahendialia corpora, ut docuit Valsequez, quam virtutem inesse à posteriori experientia probant, & ita, ut si ex fistula fistula extrahatur aer sequitur aqua, & si orificium diligenter obstruas fistulæ aqua plenæ, ita ut non sit modus, quo novus subintret aer, etiam aperto orificio non effundetur aqua, sunt & aliæ experientia, quas & usus præsentat & referunt impressi. Experientias curiosas pro utraque parte consultò præmitto melioribusque ingeniis examinandas relinquo.

Meminit Aristot. Argumenti 4. Physic. tex. 53. probantis dari vacuum naturaliter, eò quòd motus non possit fieri in pleno, sine penetratione. Sed sufficit quòd cedat aer vel corpus, per quod fit motus, ita ut aer motu expulsus, aut corpus succedat in spatium à corpore moto desertum, licet proximioribus non nihil comotis partibus.

Quòd autem divinitus possit dari vacuum, nemo dubitat ex illo principio. Quia non implicat. Probabilius tamen est Angelicâ virtute illud dari non posse, quia quamvis connexio ista corporum finita sit, non sequitur ab Angelo illam superari posse, nam connexio accidentium cum substantia, impenetrabilitas item corporum inter se, est quid finitum, ab Angelis tamen fieri non potest. Ulteriusque hoc exinde suadet, quia cum impletio hæc & carentia vacui sit bonum Universi, videtur Angelus potentiam non habere, ad causandum malum universi, cumque Angelis tribuatur vis agendi in corpora, vel causandi motum, vel applicandi activa passivis, infertur vacuum ab illis non posse causari, quia vacuum neque est motus, neque est aliquid activum in passiva.

QUÆRES tertio. *quid sit sentiendum de motu locali in vacuo.*

ASSE-

QUÆSTIO II.

De Duratione.

ASSERO primò. *Gravia & Levia in vacuo propriè dicto movenda esse, non tamen in vacuo impropriè dicto. Quale esset, si annihilato mundo relinqueretur lapis.*

RATIO, quia adhuc haberet centrum gravitatis lapis in priori vacuo, in posteriori autem non haberet, hinc non esset ratio, cur huc potius quam illic moveretur. Unde etiam hæc tota mundi Machina non cadit, quia non habet centrum gravitatis, ad quod ruat, & quamvis immediatè sub se non habeat grave, levius, inde non sequitur quòd descensurum non sit, quia sufficit quòd impediens non habeat, & ex altera parte appetit centrum; esset autem ille motus non motus localis, sed motus lationis. Quomodo autem istud grave collocari debeat ut moveatur, colligetur ex dicendis asserto quarto.

ASSERO secundo. *Motum progressivum corporum beatorum posse dari in vacuo*, ita S. Thom. Quod I. 6. art. 5. & ratio ejusdem est, quia corpora beatorum quoad hoc habent se per modum Spirituum, suntque absoluta à ratione adhærescendi corporibus.

ASSERO tertio. *Motum progressivum aliorum corporum in vacuo dari non posse.*

RATIO. Quia progressivus motus, ut suppono, non fieret nisi supra solidum, quod attollere & à se revelli pedes non permetteret, propter adhærescentiam inter corpora, quæ tunc dimittunt aliud corpus à se, quando dimittendi, est quod suppleat locum, Motus tamen v. g. brachii non applicati corpori dari posset, quia principium, quod est adhærescentia, nihil pro tunc agere potest.

ASSERO quartò. *Circa projecta. Si extra vacuum projectio fiat ubi attingeret projectum, superficiem vacuum circumdantem, propter adhærescentiam non moveretur ulterius, si tamen Angelus projiceret lapidem à medio v. g. vacui, moveretur adhærescentiam corpus.*

ASSERO quintò. *Posito quocunque motu gravium in vacuo, non fieret ille in instanti.*

RATIO, quia nec auctoritas nec ratio, tribuit vim instantanei & indivisibilis motus, alicui corpori. Quando autem Aristoteles dicit, quòd eadem sit proportio inter motum in vacuo, & motum in pleno, quæ proportio inter plenum & vacuum id solum voluit, quia scilicet, sicut in vacuo nullum est actuale spatium resistens, ita & in motu in vacuo, cum tamen in pleno sit medium plus vel minus resistivum.

DURATIO duplex est, una intrinseca rebus, alia extrinseca. Extrinseca duratio desumitur à tempore quo res durat. Duratio autem intrinseca variè à variis explicatur. A Nominalibus explicatur per solam formalitatem & connotationem, eis accedunt Suar. uterque Valsq. Molina, Ovied. A Modalistis dicitur esse modus, ut docuit Arriag. Lugo de Incarnatione dist. 19. Sect. 1. n. 20. censet illum esse ipsammet actionem, quæ per illum modus est, vi cuius constituitur res existens. Et ex illis quidem, qui dicunt nemine cogitante distingui durationem, alii dicunt illam esse quid permanens, ut noster Rub. alii successivam ut Lugo. & Arriaga.

DIFFICULTAS I.

Quidnam sit formaliter Duratio per alios.

DICENDUM est primò. *Durationem non esse modum superadditum permanentem, & qui totus simul positus, faciat durare hodiè, cras, &c.*

PROBAT primò Ovied. Duratio sic explicata est indifferens, ut sit hodiè vel cras. Ergo non est in hoc tempore per seipsam. Consequentiam admittunt Modales in aliis Materiis. Antecedens probatur. Hæc duratio heri me constituebat in diverso tempore, & hodiè me constituit in hoc. Ergo est indifferens, ut me constituat in esse hodierno & hesterno.

CONFIRMATUR hoc idem. Quia cum hodiè, non sit crastinum, nec me ad crastinum hodiè, in actu secundo determinet, sit ut hæc determinatio non sit determinatio in actu secundo, sed solum in actu primo. Quòd si determinat non nisi in circumstantia temporis crastini, cur illud tempus, quod potest determinare illum modum, ut me constituat hodiè durantem, non poterit determinare meam entitatem, sine ulla superaddita modalitatem.

RESPONDEBIS. Modum illum esse essentialem semper determinationem, quia quousque existit semper habet suum effectum formalem, licet ratione defectus alicujus extrinseci, non tribuat totum suum effectum, quem extensive tribuere potest. Sic etiam qualitas impressa projectionis, est in actu secundo talis, nec indiget per aliam qualitatem reddi qualitas projectorum, & tamen extensivum suum exercitium, non præstat simul.

CONTRA. Tum quia, si modus est essentialis determinatio, debet habere & præsupponere omnia sua requisita, nec advenire quin illa præsupponantur, hoc ipso enim & esset essentialis determinatio, ut deposcit materia modi, & non esset essentialis determinatio, defectu scilicet alicujus prærequisiti, & si potest esse modus non tribuens defectu alicujus extrinseci, id ad quod est essentialis determinatio, dicam posse existere unionem, expectarique adventum formæ, dicam posse esse actionem, sed expectando materiam in quam agat. Tum quia, & haberet tunc ille modus effectum suum formalem ut supponitur, & non haberet, defectu scilicet prærequisiti; & sicut si daretur ubi duplex, non posset nisi constituere in duplici loco, hocque ipso deberet habere omnia prærequisita, ita & in præsentia.

Tum quia instantia illa de qualitate non valet, hæc enim non essentialis determinatio, nec modalitas, sed res, nata successive movere, ita ut si simul conciperetur movere, hoc ipso faceret contra naturam talis suæ entitatis, de linea rati, imò ut sit talis qualitas modus impossibile est, propter rationes ex essentia modi immediate petitas.

Neque valet si dicas, non magis duratio, si sit modalitas, debet esse determinans ad durandum, quàm duratio ipsius Dei, & tamen duratio ipsius Dei, hodie non determinat Deum, ut dureret cras, quia cras non est hodie. Non inquam valet, quia duratio Dei, non est essentialis determinatio existendi cras pro hodie, jam autem modus est essentialiter determinatus etiam existendi cras pro hodie, essentialis enim duratio Dei ad existendum cras, est ipsamet entitas Divina, non quomodocunque spectata, sed in circumstantia crastini, hinc non præsupponit ante se vel secum prærequisita, sed expectat ut ita dicam, jam autem modus præsupponere debet ante se prærequisita vel secum. Unde etiam vi essentialis Deo durationis, fit, ut habeat totum actu, quod est necessarium, ut à parte sua possit durare cras, sed illa essentialis Deo duratio, non est essentialis determinatio, ut existat cras actu. Jam autem ex vi modi sequitur, ut si hodie sit essentialis determinatio ad existendum cras, debeat esse, (quod implicat) existentia cras, pro hodie.

PROBAT secundò idem. Me hodie existentem potuit Deus antecederet heri corrumpere. Ergo modus ille ex vi cuius duro hodie poterat non esse. Ergo eandem habet indifferentiam ac mea entitas ad existendum, vel non existendum.

RESPONDERI posset, quòd ex suppositione auferendæ illius modalitatis potuisset heri me Deus annihilare, non tamen suppositione facta illius modalitatis, ad eum modum, quo unio

modalis hodierna, poterat hodie non unire supposito, quod heri corrumpere.

PROBATUR tertio. Quia nulla est necessitas hujus superaddendæ modalitatis, & sicut non datur unio quæ expectet aggenerandas partes, vel formam adventuram, ita nec duratio modalis dabitur, expectans crastinum tempus v. g. vel aliud post annum.

DICENDUM est secundò. *Durationem non esse modum successivum.*

PROBATUR primò. Quia nulla necessitas talis modi.

PROBATUR secundò. Urgendo argumentum quod sibi opposuit Arriaga. d. 17. Sect. subf. 2. Possibilis est creatura durans ab æterno, hæc non duraret per durationem successivam. Ergo non est necesse ponere durationem successivam. Minor probatur. Si illa creatura duraret duratione successiva ab æterno per durationem habentem prius & posterius, prius autem & posterius ab æterno esse non possunt.

PROBATUR tertio. Quia vel componitur tempus ex partibus in infinitum divisibilibus, & sic non potest dari modalitas successiva, quæ sit duratio: vel ex punctis, & sic etiam non potest dari duratio, quæ sit modalitas successiva. Non in prima sententia, quia partibus proportionalibus deberet connumerari & proportionari illa duratio, omnibus enim illis duraretur, non posset autem omnibus illis proportionari, quia illæ habent prius & posterius, non posset autem dari modalitas, respondens priori & posteriori, hoc enim ipso non posset, cum est prius, dari essentialis determinatio ad posterius, quod tamen deberet haberi vi modi. Si autem componitur tempus ex punctis. Ergo saltem ab æterno posita creatura permanente, non posset illa durare duratione successiva, quia jam intercessissent infinita ab æterno puncta, quibus connumeratæ durationes non possent esse nisi infinita actu, & quamvis negaretur tempus posse esse ab æterno, sufficeret quòd durationes illæ successivæ essent ab æterno, quæ non possent esse nisi infinita actu. Quando autem retorquet argumentum Arriaga de duratione æterna à parte post, id nihil evincit, nam duratio à parte post, nunquam est infinita actu, sed semper erit, jam autem duratio à parte ante, esset infinita actu, semperque duratio à parte post, esset clausa duobus terminis, adeoque neque infinita, jam autem duratio à parte ante æterna, à parte ante, non haberet finem.

DICENDUM est tertio. *Durationem formaliter non esse actionem conservativam, distinctam, vi cuius existat creatura.*

PROBAT primò Oviéd. Possibilis est actio identificata termino. Ergo & actio conservativa

Disputatio XIII.

DIFFICULTAS II.

381

variata identificata termino. Ergo & duratio identificata duranti.

PROBAT secundò, ad hominem Actio illa conservativa habet se per modum principii, ut quo efficientis durationem. Ergo habet terminum, sed non alium nisi ipsam durationem. Ergo duratio illa non est identificata ipsi illi actioni. Subsumptum probatur, quia si haberet aliquem terminum, haberet ipsam entitatem durantem: sed non potest habere illam ipsam entitatem durantem, quod probatur. Actio conservativa applicationis spatio non habet pro objecto ipsum ubi in sententia Lugo: condistinctum. Ergo & actio conservativa rei habebit pro objecto durationem, non ergo ipsa conservatio formalissimè duratio. Quòd autem actio illa conservativa habeat se per modum principii efficientis durationem, inde probatur. Ipsum agens conservativum habet se per modum principii ut Quod efficientis durationem, nec potest aliud ostendi principium ut Quod, ergo actio conservativa habebit se per modum principii ut Quo.

PROBATUR tertio. Tum quia, si de duratione loqui velimus, prout illa in re est, indubiè dicat non solum actionem conservativam, sed dicat etiam ipsum conservatam, dicit item tempus tunc fluens, sed exinde non sequitur quòd etiam reliqua in re non dicat duratio, & tamen illa formalissimè tribuitur per eundem non nisi actioni conservativæ, & tamen non est ratio, cur etiam reliquis tribui non deberet. Si autem loquamur de duratione, prout illa subest nostris conceptibus, sic non est formalissimè conservatio ipsa, quia conservatio activa habet se per modum viæ, duratio per modum termini, conservatio item activa tenet se à parte agentis, licet recipiatur in termino, duratio autem formalissimè tenet se à parte passivi seu termini. Conservativa actio apprehenditur à nobis tanquam quid antecedens, duratio tanquam quid tandem sequens. Tum quia ratio fundandi relationem non est formaliter relatio, sed relatio est aut formalitas aut modalitas à ratione fundandi condistincta. Ergo & actio conservativa non est formaliter ipsa duratio: sicut enim ratio fundandi causat, ut ita dicam, statuitque relationem, ita concursus conservativus durationem statuit. Tum quia, tam propriè durat Deus, quam propriè durat creatura, & tamen Dei duratio non est propriè ipsa actio Dei conservativa, cum respectu Dei, sicut nulla datur actio productiva, ita nec conservativa. Ergo apparet quòd duratio ut sic, non sit actio conservativa, cur ergo creata duratio, & quidem formalissimè, erit actio conservativa.

Quid sit formaliter Duratio?

DICENDUM est primò. *Durationem esse ipsam entitatem prout coexistentem his tot vel tot differentiis temporis, si eam respectivè accipias ad aliquid extrinsecum, ut ordinariè accipi solet.*

PROBATUR primò. Argumento negativo. Quia nulla necessitas, superaddendæ ullius entitatis.

PROBATUR secundò. Ponamus per impossibile annihilari illam entitatem superadditam, & non annihilari ipsum illud quo reddebatur illa entitas durans, vel habebit existentiam illa entitas durans, vel non habebit existentiam illa entitas durans, vel non habebit: Si habebit. Ergo erit durans, adhuc enim erit tunc tempus, cui coexistet illa entitas. Ergo durabit, quia coexistere temporis est durare; & sicut duratio ipsa superaddita si existat & coexistat temporis est duratio, nec esset duratio (ut supponitur respectiva) si ista duo, non haberet, ita & illa entitas erit durans: Si autem illa entitas non habebit existentiam cur non? poneque per impossibile habere existentiam quærere restabit, an posset dici durans.

PROBATUR tertio. Tum quia per id duratio entis salvari debet, per quod salvatur ipsius durationis tanta vel tanta permanentia, sicut per hoc salvatur ipsa extensio quantitatis, per quod salvatur ratio ipsius quanti, & per quod salvatur ratio albedinis, per hoc salvatur ratio albi quæ talis, & universaliter quæ ratio formalis, in uno est alicujus rei, eadem si alteri conveniat, erit ratio ejusdem rei in alio, sed durationis tanta vel tanta permanentia, optimè salvatur respectivè accepta, per coexistentiam entitatis tanto vel tanto temporis. Ergo & duratio ipsius entis per hoc salvari poterit. Minor probatur. Si enim quæram, quare illa ipsa duratio permanserit tribus horis. Respondebis, quia est entitas tribus horis coexistens. Cur ergo etiam de ipso ente hoc dici non poterit, per hocque salvari duratio illius? Tum quia, ut urget Ovid. Entitas quæ denominatur durans in priori, antequam illi superaddatur hæc modalitas, jam est durans. Ergo otiosa est illa superaddita Entitas. Antecedens probatur, quia illa entitas rata, est causa materialis illius entitatis si esset superaddita, jam autem ad rationem causæ materialis requiritur existentia in tempore, non in præterito, neque in futuro, ergo in præsentis, adeoque habet & durationem, existere enim in tempore præsentis, & durare, verbis differunt. Tum quia binarius numerus non est quid condistinctum à duabus unitatibus,

bus, quamvis neutra separatim, constituat binarium. Ergo nec duratio ex eo erit quid condistinctum, quia potest esse entitas & tempus in diversis differentiis, & tamen non constituere coexistens seu durans.

DICENDUM est secundò. *Durationem absolute spectatam, non formalisari per coexistentiam cum tempore.*

PROBATUR primò. Impossibile est tempus ab æterno, & tamen possibile est duratio ab æterno. Ergo duratio absolute spectata non formalisatur per coexistentiam cum tempore. Anteced. ex alibi dictis colligitur.

PROBATUR secundò. Ponamus impossibile reddi omne tempus, poteritne adhuc creari Angelus vel non? (Attenditur autem hic ad formales consecutiones, non autem ad nexus rerum in omnipotentia) Si non poterit creari, cur non? & certe ante mundum conditum potuit creari Angelus, quo casu non fuisset tempus istud extrinsecum, & non est cur existentia rei, spiritualis debeat dependere à re materiali. Si autem poterit creari, cur non poterit conservari. Ergo poterit etiam habere per manentiam existentiam, ergo & durationem absolutam, hæc enim verbis differunt. Ergo ulterius dabilis est duratio absoluta, independens à tempore. Neque recurras quòd tunc non absolvet illud Ens à tempore imaginario, quia hoc quod esset nemine cogitante, non esset dependens ab eo, quod est, non nisi aliquo cogitante.

PROBATUR tertio. Duratio Dei est æterna, & quæ æterna, non mensuratur nisi æternitate. Ergo de conceptu durationis non est formalisari per coexistentiam cum tempore, quia si de conceptu durationis ut sic, esset formalisari tempore, nulla esset duratio quæ alio, quàm tempore formalisari posset. Antecedens principale probatur, & quidem quòd duratio Dei sit æterna Fides & Metaphysica docet. Quòd etiam duratio Dei quæ æterna est, mensuretur non nisi æternitate. Probatur. Tum quia, duratio temporanea mensuratur non nisi tempore, duratio hodierna hodierno. Ergo & æterna æternitate. Tum quia, si duratio æterna mensuraretur tempore, infinitum mensuraretur finito. Tum quia, æternitas est possibilis, tempus autem ab æterno, est impossibile. *Neque valet*, si dicas hoc ipso mensurari durationem Divinam tempore, quia mensuraretur æternitate, nam ut dixi immediate, tempus ab æterno seu habens prius & posterius, ab æterno est impossibile, cum tamen sit possibilis æternitas antè. Deinde ipsa illa æternitas, nihil aliud est, nisi ipse Deus, ab æterno existens, habens illam mensuram sibi identificatam, tempus autem est motus cælorum, est quid creatum, adeoque inidentificabile Deo.

DICENDUM est tertio. *Durationem absolute spectatam, esse ipsam existentiam rei, permanentem, vel ipsum rei esse non desinens, quod abstractis terminis sic circumscribitur. Duratio est permanentia rei in existendo, vel est ipsa non desinentia esse, prior autem præferenda, quia explicat per terminos positivos.*

PROBATUR Bonitas explicationis; quia convenit omni, soli, & semper, proceditque per prima.

ADDO primo. *Durationem absolutam, quæ foret omni impossibili tempore neque habituram prius, neque posterius respectu sui.*

RATIO: Quia illa duratio esset ipsa permanentia rei existentis, identificata ipsi existentia, quæ tamen respectu sui, non habet rationem prioris & posterioris, quid enim sibi est posterius?

ADDO secundò. Casu quo Deus impossibili omni tempore crearet aliam creaturam, sed non simul cum priori, daretur prioritas & posterioritas durationum, sed non talis, quæ scilicet fundaret rationem hesterni, crastini &c. sed tantum esset prioritas secundum quam vera esset hæc propositio; Creatura hæc existit alia, postea autem verificatur utraque propositio.

ADDO tertio. Nullam conservationem posse tribui rei pro primo instanti, sed nec durationem. Non primum, quia conservatio supponit ante se inceptionem, ante inceptionem autem, non supponitur inceptio. Non secundum, quidquid velit recentior Suar. quia quod incipit non durat, sed duraturum est, nec est major ratio de uno, quàm de altero, cur scilicet conservatio præsupponat antecessorem, & non duratio.

DICES cum eodem. Res quæ antecedit aliam instanti reali, dicitur prius durare illa.

RESPONDETUR. Inde oppositum inferri, quia etiam hic ad titulum durationis, prærequiritur antecessio.

INSTABIS. Punctum spectat ad prædicamentum quantitatis. Ergo & primum instans existentia, spectabit ad prædicamentum durationis.

RESPONDETUR imprimis. Nulla vera dantur puncta, datis illis, medius terminus potius erit pro nobis, quia sicut punctum lineæ inchoativum, non est linea, sic nec incepto, erit duratio, potestque benè dici, quòd prima productio spectet ad durationem, tanquam prærequiritum, & revocativè, non autem tanquam formaliter denominationem illam participantem.

DIFFICULTAS III.

Respondetur Objectionibus.

OBJICIT primò. Durare est correspondere partibus motus, sed iisdem partibus motus possum correspondere cras & hodie, quia eadem partes motus, potuerunt produci cras, quæ hodie. Ergo possum habere eandem durationem cras, quàm hodie.

RESPONDETUR. Imprimis, quòd durare, sit correspondere partibus motus, non quomodo-cunque, sed secundum suppositionem positionis eorundem, secundum quam motus hodiernus, non supponitur futurus cras, cum sit factus hodie, etsi hodiernus motus cras fuisset, & alius hodie, hic qui supponeretur hodie, salvaret durationem hodiernam. Deinde dici potest, quòd duratio respiciat motum, non materialiter acceptum, quamvis enim alii specie distincti celi, moverentur, adhuc eodem modo, durarem hodie, sed respicit motum cælorum formaliter acceptum, hoc est secundum prius, & posterius, secundum quam rationem, posterius formaliter acceptum, non potest esse prius, priori, itidem formaliter accepto. Motus autem qui est hodie non nisi materialiter acceptus, potest esse cras.

OBJICIT secundò Arriaga. Hoc quod est durare, est aliquid reale, sed hoc est separabile ab existentia Petri. Ergo & duratio, est separabilis. Prob. Minor. Quia Petrus qui existit hodie, est separabile à substantia Petri.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, in principiis ipsius Arriag. probat enim æqualitatem quæ talem, esse quid superadditum æqualibus, quia poterat existere hoc lignum, & non esse æquale, quòd si recurrat ad aliam entitatem ejusdem quantitatis, dicemus etiam & Nos requiri, & entitatem & tempus hodiernum. Probat item, existentiam esse quid realiter superadditum, item Relationem &c. similia. Directè autem dici potest. Durationem non esse extra quascunque circumstantias, sed requirere, & entitatem existentem, & connotatum hujus, vel illius, de quo quæritur temporis.

INSTAT primò idem. Hoc quod est coexistere Petrum tempori, est aliquid separabile ab ipso Petro, & tempore, quia potuit utrumque esse in rerum natura, quin invicem coexisterent.

RESPONDETUR. Esse hæc separabilia, si simul non sumantur, secus si simul.

INSTAT secundò. Antichristus absolute, & simpliciter erit in rerum natura, & crastina dies absolute, & simpliciter erit, & tamen non erunt

simul. Ergo hoc, quod est: erunt simul, aliquid plus dicit, quàm hoc absolute; ambo erunt.

RESPONDETUR. Negando, quòd hoc, quod est esse simul, si accipiat in circumstantia existentie, actu habitæ, utriusque, sit separabile ab illis.

INSTAT tertio idem. Quando dicimus, à Petro coexistenti huic instanti, non separari durationem, in hoc ipso sequitur jam includi durationem.

RESPONDETUR. Hoc ipso quia à Petro coexistenti huic instanti, non separatur duratio, sequitur includi re ipsa durationem, quicquid sit de alietate ex modo concipiendi ad eum modum, quo in fundamento, termino, ratione fundandi, includitur relatio, sed non distincta ab illis.

OBJICITUR tertio. Voluntas Dei, creandi Petrum, in hoc instanti, habet aliquid pro objecto, quod sit distinctum à substantia Petri, quia hæc eadem esset, etiamsi producta fuisset heri, hoc autem distinctum, non potest esse ipsum instans, quia hoc imaginarium est, nec creatur à Deo, instansque existeret suo modo, quamvis Petrus, non existeret in illo.

RESPONDETUR. Hoc objectum, non esse præcisè ipsam substantiam Petri, nec præcisè ipsum instans, sed substantiam in tali circumstantia instantis, & quando hæc duo vult, jam non est necesse habere illum, distinctam voluntatem, ad hoc, ut simul sint, sicut quando Deus vult relationem, vult fundamentum proximum, & terminum, quibus volitis, non est necesse ut procedat ad volendam relationem, jam enim in prædictis continetur, ita & in præfenti.

INSTAT primò idem. Magis, minusve durasse, non potest intelligi, sine pluribus, vel paucioribus durationibus distinctis, si enim indivisibilis est, cur magis minusve durat.

RESPONDETUR. Secundum id, quod dicit in recto duratio, nec plus, nec minus durat, est enim eadem entitas, quæ secundum se, nec major, nec minor est, sed est major vel minor, secundum id, quod dicit in obliquo, hoc est ratione temporis, cujus partes plures, vel pauciores, interveniunt.

INSTAT secundò. Successio temporis pergit, sive duret Petrus, sive non. Ergo per illam nec dilataatur, nec limitantur termini vitæ.

RESPONDETUR. Durationem extrinsecè pendere ab actione Dei conservativa, intrinsecè autem pendet ab ipsamet entitate, extra causas existente. Unde etiam per tempus, non dilatantur termini vitæ, licet quantum duret, illa conservatio, & existentia, mensuret tempus.

IN.

INSTAT tertio Maurus. Hoc quod est durare, aut vivere centum annis, addit venti magnam perfectionem, quā careret, si uno momento viveret: Si addit perfectionem, ergo talis perfectio, debet esse actualitas, positiva, intrinseca.

RESPONDETUR. Imprimis ex dictis aliis, posse esse aliquam perfectionem negativam magnam; modo infundetur alicui positivo, qualis est perfectio aeternitatis, independentiae, &c. & in nobis multae negativae perfectiones dantur, ergo ex magnitudine perfectionis, non debet inferri positivitas & ratio superadditi. Rursus dici potest, quod haec additio, supra entitatem Petri, concursum conservativum, & tempus si vis extrinsecum, addat aliquid additione non nisi Metaphysica, non autem Physica. Denique ostendi hic potest actualitas positiva, stans in entitate Petri, concursu Dei, tempore extrinseco, quae tria simul sumpta, quod sufficienter non salvent rationem durantis, sine aliquo superaddito, hoc ipsum probari deberet, licet defectu posito vel entitatis, consequenter concursus, vel temporis extrinseci, jam non salvetur, ratio durantis.

Solvuntur Objectiones aliae.

OBJICITUR primò usitatum argumentum. Potest poni in rerum natura Petrus, secundum se, & potest poni tempus hodiernum extrinsecum, secundum se, & tamen Petrus non poni in tempore hodierno, sed in alio, unde etiam ponetur aliquando existentia Antichristi, & positum est tempus hodiernum, & tamen Antichristus non existit nec existet in tempore hodierno. Ergo rem permanentem existere, seu durare hodie, est aliquid nemine cogitante separabile, ac proinde accedens, distinctum à parte rei, ab existentia entis permanentis, & ab existentia temporis hodierni, praecise sumpti.

RESPONDETUR. Potest poni in rerum natura Petrus, & poni tempus hodiernum, simul & una coexistendo, & tamen Petrus non poni, die hodierno, sed alio. Neg. Antecedens, non una coexistendo. Concedo. Consequenter, haec duo non erunt condistincta, in circumstantia coexistentiae, secus sine illa.

INSTABIS primò. Existentia Petri, de praesenti, vel dicit aliquid plus objective, supra existentiam Petri, secundum se, vel nihil plus: Si primum, habetur intentum, hoc enim voco durationem hodiernam; si secundum, cur voces novas multiplicas, sine omni significato reali.

RESPONDETUR. Existentiam Petri, de praesenti, praeter tempus, hoc illi coexistens, nihil plus dicere objective, secus extra hoc tem-

pus. Et certè, quamvis possit esse entitas Petri, & non habere denominationem hanc, componi entitate Filii, seu termino, tanquam parte, nihilominus non superaddis aliam modalitatem, constitutivam, in linea relationis: ita licet poneretur tempus extrinsecum, tanquam partem durationis, non esset necesse ponere modalitatem superadditam, constitutivam in linea durantis.

INSTABIS secundò. Existentia Petri, de praesenti, est nemine cogitante separabilis, ab existentia Petri, & temporis hodierni secundum se, ergo est nemine cogitante distinctum quid.

RESPONDETUR. Existentia Petri, de praesenti, est separabilis ab existentia Petri, & temporis hodierni, coexistentibus. Nego Antecedens, non coexistentibus, concedo.

INSTABIS tertio idem. Petrum esse simul cum hoc tempore, est separabile ab existentia Petri, & huius temporis secundum se spectatorum, ergo significant aliquod objectum à parte rei distinctum, quod ego voco durationem.

RESPONDETUR. Petrum esse simul cum hoc tempore, est separabile ab existentia Petri, & huius temporis, si non supponantur coexistere, Concedo Antecedens. Si supponantur coexistere, nego Antecedens. Et si non coexistant, erit tunc negatio, vel Petri existentis, vel huius temporis existentis, & sicut ab entitate Petri, est separabile, esse illum Patrem, & Paulum Filium, ex suppositione tamen, quod hic genuerit, & hic sit genitus, non sunt separabilia, nec est necesse ponere relationem filiationis modum superadditum, ita & in praesenti, Petrum esse simul, cum hoc tempore ex suppositione coexistentiae separari non possunt, secus sine hac suppositione, unde si non erit coexistentia horum duorum, erit ex parte objecti mutatio, nempe tunc ponetur non existentia alterutrius.

OBJICITUR secundò idem. Deus, quando vult Petrum creare hodie, non vult Petri existentiam secundum se, nec etiam existentiam temporis hodierni secundum se, quia haec velle poterat, quin veller Petrum existere hodie, vult ergo simultatem existentiae Petri, cum existentia temporis hodierni. Ergo ista similitudo, seu coexistentia Petri cum tempore hodierno, est objectum distinctum ab existentia Petri, & tempore hodierno, secundum se sumptis, induciturque per voluntatem Divinam efficacem, quā vult Petrum, esse hodie.

RESPONDETUR. Simultatem coexistentiae esse distinctam, ab utriusque entitate praecise sumptis, extra suppositionem simultatis, non autem posita suppositione. Deinde quam

quamvis concedatur, quod simulas coëxistentiæ sit distincta ex parte objecti, à sola existentia Petri, & sola existentia temporis huius; sola enim v.g. existentia Petri, dicit negationem existentia tunc, huius temporis, negatio autem objecti, & positio, inferunt distinctionem ex parte objecti. Sed nego, ad istam similitudinem, debere transiri per superadditum quid, entitati vè utrique, sed per ablationem negationis existentia tam Petri, quam temporis hodierni, quæ ablatio negationis, perficitur ipsismet illorum entitatibus tunc existentibus, requirendo, sicut ad existentiam utriusque actiones proportionatas, ita & requirendo easdem, tunc, ut tunc, dicatur esse, utriusque existentia. Et sicut potest esse entitas unius, & non esse entitas alterius, adeoque non esse par, vel prima jugatio numeri, & tamen esse primam jugationem numeri, non est quid distinctum modaliter ab ipsis unitatibus duabus, ita & in presenti. Loquor autem non de ubi unitatum, sed de pura & mera, constitutione paris, seu primæ jugationis numeri.

Obijciunt tertio idem. Cum creatura habeat esse dependens à Deo, singulis momentis destruibile, oportet ut singulis momentis, accipiat à Deo suum esse, tanquam novum donum, ergo, quod ego habeam hodie meum esse, est novum Dei donum, separabile ab eo, quod habuerim heri esse, sed est novum donum, non per dationem novi doni, sed per repetitionem dati ejusdem doni.

RESPONDETUR. Imprimis, non videtur quod non sit hoc novum donum Dei, per dationem, si enim est novum donum, est etiam nova datio, cum donum, & datio, sumpta pro eo quod datur, verbis differant, cumque hesternæ duratio, non possit facere me hodie durare, non erit repetitio illius hesternæ durationis hodie, sed revera nova datio novi doni, quia novæ durationis. Deinde directe dici potest, quod illic sit novitas, ratione novi actualis temporis, cui coëxistitur, ratione novæ non positæ subtractionis concursus, quæ poterat poni.

Adde esse inexplicabile, quid sit ista duratio modalis, v.g. Petri, vel enim una indivisibilis, datur pro tota vita, secundum quod, illam prævidit Deus, & hoc negant oppositi, si demas Ruvium, & paucos alios, negare autem illam non deberent, quia sicut ex suppositione prævisionis, quousque sit victurus, & quousque velit illum Deus vivere, non potest nisi eousque vivere, ita & non potest, nisi eousque durare. Sed si hoc, quod negant, concederent, restaret quærrere, cum illa duratio, danda sit tanquam complementum decreti divini quod ipsum præcitur ratione nostra, à prævisione tantæ vitæ,

tunc urgetur, si in illo priori ante decretam durationem, potest prævideri tanta vita, sine tanta superaddita duratione, ad quid erit illa superaddita necessaria? Non potest dici, illa duratio, singulis instantibus, esse commensurata, quia sequeretur instans post instans. Non potest dici de illa duratione, quod sit commensurata instanti, & positioni temporis, quia jam illo tempore, necessario duraret creatura. Non potest dici quod commensuratur partibus in infinitum divisibilibus, quia etiam illis necessario duraret, & cum illæ partes, sint commensurabiles toti æternitati, posset etiam duratio, temporanea cæteroqui, commensurari toti æternitati. Non potest dici de illa duratione, quod sit actio conservativa. Tum quia illi actioni, & quidem novæ, deberet respondere novus terminus, secundum principia oppositorum. Ergo responderet duratio nova. Ergo duratio nova, non est illa ipsa conservatio. Tum quia, vel intelligitur de conservatione activa, & hæc videtur esse quid extrinsecum duranti, vel de conservatione passiva, & hæc non est actio conservativa, sed ejusdem terminus, qui deberet esse quid distinctum, ab ipsa actione conservativa. Tum quia duratio successiva, non est quid superadditum. Ergo cum duratio permanens non aliud sit per oppositos, quam ipsa actio conservativa, singulis instantibus, variata, adeoque succedens, etiam ipsa, non erit quid superadditum.

QUÆSTIO III.

Quid Tempus & Æternitas?

QUÆRES primò, *Quid sit Tempus?*

RESPONDET Arist. Esse mensuram motus secundum prius & posterius. Hæc definitio est explicata, ubi de compositione continui.

QUÆRES secundò. *An tempus Mathematicè acceptum secundum quod tale, existat formaliter?*

RESPONDETUR. Existere solum fundamentaliter. Ratio, quia scilicet hic motus, qui poterat esse tardior, vel velocior, existit, hoc est, non est defacto negatio illius, quod postea intellectui dat fundamentum formandi has propositiones: Nunc est: Quare autem tempus Mathematicè acceptum quod tale, formaliter non existat, probatur ubi de continuo. Et certè ly: Nunc, est indivisibile, nec enim admittit prius & posterius, si est indivisibile, non potest habere partes, si non potest habere partes, non

† k k pot.

potest habere maiorem vel minorem velocitatem, quæ tamen competunt tempori. Quando autem Aristor. negat de tempore, quod possit dari velocius, vel tardius, loquitur, vel de tempore Mathematicè accepto, vel de æqualitate motus cœlestis, qui de facto datur, vel negat id competere tempori, sub formalitate temporis, licet sub formalitate, motus possit competere.

QUÆRES tertio. *Quid sit Æternitas?* Boëtius sic illam describit, quod sit: Interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio. Hæc descriptio patitur suas difficultates, quia possibi-

lis est creatio rei permanentis ab æterno, v.g. lapidis, qui tamen quomodo interminabiliter vivet. Deinde redit quæstio, quid sit interminabilis vita. Denique hæc descriptio potius subiectum æternitatis ostendit, quam mensuram. Commodius dicetur, quod Æternitas sit possessio interminabilis existentiae, vel mensura, distingueturque à tempore, quia non habet terminum, habet Tempus.

Et hic octo Physicorum terminus esto. Scribentibus autem & Legentibus dum terminabunt vitam, sit exordium beate

ÆTERNITATIS.

Ad M. D. G. Bq. V. H.
b.M.



INDEX